
CLERICUS ROMANUS CONTRA NIMIUM RIGOREM MUNITUS DUPLICI LIBRO QUORUM UNO...

Baldassarre ; gesuita> Francolino (; gesuita>)





PRÆSENTIS ECCLESIÆ BENIGNITAS

IN ADMINISTRANDO SACRAMENTO POENITENTIÆ

A Rigidiorum quorumdam, Doctorum Calumniis vindicata

A P. BALDASSARE FRANCOLINO
SOCIETATIS JESU THEOLOGO.





ROMÆ, MDCCV. Typis Cajetani Zenobii SS. D. N. CLEMENTIS XI. Typographi, & Scalptoris, ante Seminarium Romanum.
SUPERIORUM FACULTATE.





N alia Calumniatorum acies, non illa quidem in veterem Ecclesiam armata, sed in præsentem, quam veluti degenerem, errantemque, & cum Pœnitentibus nimis benignam, perpetuò proscindunt. Accusationum autem capita totidem sunt, nempè duodecim.

Primum est. *Ecclesiam præsentem, in administrando hoc Sacramento, à veteri Ecclesiâ penitus recessisse.*

Secundum est. *Refrigescentem Fidelium charitatem causam fuisse præsentis Benignitatis.*

Tertium est. *Hos Sacerdotes, quorum causâ, rigidior pœnitentiæ disciplina desiit in Ecclesiâ, fuisse Religiosos, præsertim Mendicantes, audiendis Secularium confessionibus minus idoneos, quam sint reliqui Sacerdotes.*

Quartum est. *His ultimis temporibus, benigniùs, quam seculo decimotertio, quo benigna hæc Praxis invaluit, Sacramentum Pœnitentiæ administrari.*

Quintum est. *Hujus augumenti causam fuisse recentiores Theologos, & Casuistas, qui inutilibus speculationibus tempus terunt, & ex genio, ingenioque suo, non ex Patrum doctrinâ, quæ circa mores dubia incidunt, audent explicare.*

Sextum est. *Benignam hanc praxim administrandi Sacramentum Pœnitentiæ doctrinæ Scripturarum, & hujus Sacramenti institutioni contrariam esse.*

Septimum est. *Contrariam quoque eam esse Patrum sententiis, ac legibus,* quas

quas Canones pœnitentiales appellamus.

Octavum est. *Reprobatam à Sanctis viris eam fuisse, & præsertim à Divo Carolo*.

Nonum est. *Etiam nunc à melioris notæ Theologis, ac Sacerdotibus improbari*.

Decimum est. *Esse eam Sacramento injuriosam*.

Undecimum est. *Perniciosam quoque eam esse*.

Duodecimum est. *Hujusmodi saltem eam esse, ut aliquo rigore temperanda sit*.

Ad hæc ferè capita rediguntur omnia, quæ contra præsentem benignitatem congerunt Rigidi morum Institutores, eâ falsâ persuasione decepti, hanc unicam, aut saltem optimam esse rationem revocandi homines in viam salutis, si Pœnitentiæ Sacramentalis antiqua disciplina revocetur, aut altera non admodum absimilis invehatur. Is autem er-

ror duplici fundamento innititur. Primum eſt, falſa circa veterem; alterum eſt, falſa itidem circa præſentem Eccleſiæ praxim opinio. Prima ſiquidem, rigidior & felicior ab eis habetur quàm fuerit; altera verò, benignior & infelicior putatur, quàm ſit. Primum fundamentum primâ noſtri hujus Operis parte diruimus; alterum hac alterâ parte quatere aggredimur, ut hoc etiam, Deo feliciter aſpirante, diruamus.



IM-

IMPRIMATVR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Mag. Sac. Apostol. Palat.

Dominicus de Zaulis Episc. Verulanus Vicesger.



IMPRIMATVR,

Fr. Paulinus Bernardinius Sac. Apost. Palat. Magist. Ord. Prædic.



CALUMNIA I.

Ecclesia præsens, in administrando Sacramento Pœnitentiæ, & vindicandis Fidelium culpis, à veteri Ecclesia penitus recessit.

DISPUTATIO I.

Doct. Rig. D Calumniam vocas?

Doct. Dis. Quid ni?

D. R. Igitur præsens Ecclesia à Veteri nihil recessit?

D. D. Id ego non assero; sed penitus 1
recessisse nego. Quamvis & illud quoque, nisi benè intelligatur, falsum est, nempe præsentem Ecclesiam à veteri recessisse. Si enim id

signifi,

ſignificat, præſentem Eccleſiam eſſe, in adminiſtrando Sacramento Pœnitentiæ, veteri Eccleſiæ contrariam, hoc etiam nego: Si verò ſignificet, eam non eſſe ita ſeveram, ac vetus Eccleſia fuit, id non abnego.

D. ℞. Ego verò, eam eſſe omnino contrariam aſſero & probo. Nam vix alia quondam Pœnitentia quàm publica, vix alia modò Pœnitentia fit quam privata & ſecreta. Longiſſima olim fuit & aſpera, fletus ſanè multus pro foribus Eccleſiæ, ſtationes bene longæ in Eccleſia, jejunia pluſquam multa extra Eccleſiam. Perbrevis modo nec ſevera, nempe paucarum precum, vel unius, alteriuſve jejunii, vel eleemoſynæ non admodum largæ. Venia quondam vix in morte dabatur lapſis in quædam crimina; Communio nec in morte. Nunc omnibus utrumque donum non datur modò, ſed offertur, ſed obtruditur: nec invitantur tantum peccatores ad Pœnitentiam, ſed rogantur ſtatim accedere; accedentes reconciliantur ſtatim, ſacræ menſæ accumbere permittuntur ſtatim, & vix non jubentur, nec ſolùm bene ſperare de ſua ſalute monentur, ſed tanquam pacis initæ cum Deo ſecuri, læti & alacres dimittuntur.

Ne-

Negarì igitur non poteſt, præſentis Eccleſiæ diſciplinam, eſſe veteri contrariam; cum ut oſtendi, illa benigniſſima ſit, hæc autem fuerit rigidiſſima.

2 *D. D.* Ego verò, quod dicis negari non poſſe, nego iterum; & negandum omnino eſſe, clariſſimè oſtendo.

Et primò, ex confeſſione ipſius Morini, duobus prioribus Eccleſiæ ſeculis, ſatis benignè cum Pœnitentibus actum fuit. *Pœnæ* (inquit ille l.2.c.21.n.7.& l.4.c.9.) *Criminibus impoſitæ, ante Novatum breves admodum fuere; & nonnunquam ſceleratiſſimis hominibus pax & Communio, certis de cauſis, nullâ imperatâ exteriori Pœnitentiâ, ſtatim fuit reddita.* Igitur ſi præſens Eccleſiæ praxis, cum ea quam ſtatuerunt Apoſtoli, ac duobus prioribus ſeculis obtinuit, comparetur, perſimilis apparebit, quod vos non negatis: non igitur verum eſt, quod tam ſæpe à vobis aſſeritur, præſentem Eccleſiam, in vindicandis delictis ab antiqua penitus receſſiſſe. An Eccleſia naſcens, & quæ duobus inde ſeculis adolevit, antiqua non eſt; eaque ſit, quę poſt duo illa priora ſecula obriguit?

3 Obriguit inquam; non enim nego, Le-
ges

ges valde rigidas, post ea prima secula, fuisse sancitas; Pœnitentiam in quatuor illas stationes Luctus, Auditionis, Prostrationis & Consistentię fuisse protractam, multiplicata jejunia, nec nisi post multos & longos labores, fuisse Pœnitentes cum Ecclesia, & Altari reconciliatos. Verùm, tum quoque, cum Pœnitentibus, ex pluribus causis indultum sæpissimè fuit, nec imposita per severissimos eos canones Pœnitentia fuit semper interni fori, sed aliquando, aut etiam plerumque, fori externi, ut disput. 9. par. 1. & alibi ostendi. Quamvis ergo etiam cum eorum seculorum Ecclesià, præsens comparetur, non simillima quidem, non tamen contraria, aut valde dissimilis erit habenda. Falsum enim est nunc absolvi omnes, omnibus pœnitentias brevissimas, & nihil asperas imponi, omnibus statim Eucharistię Sacramentum ministrari. Invitantur quidem omnes, ut passim invitant Patres, invitatque Deus in Scripturis. Sed non omnes qui vocantur, iidem eliguntur. Spes quidem salutis fit omnibus, sed nulli securitas. Non ita multi puniuntur modò, sed nec ita pauci. Quare expendenti mihi, quos modò secretum Pœnitentiæ Tribunal, quod

sacram

facram Pœnitentiariam vocamus, in relaxandis fecretò confitentium vinculis Canones fervat; quos facri Quęfitores, in delictis contra Fidem, feu Religionem vindicandis cuftodiunt; quę tot per Orbem Epifcopi, pro tuendâ Ecclefiafticâ difciplina, aut faciunt ipfi, aut fieri mandant; quas demum tot Religiofę familię, vel coactę, vel voluntarię pœnitentię leges habent: vix ullum aliud inter Ecclefiam prefentem & veterem, intereffe difcrimen videtur, quàm quòd in Ecclefia veteri fępiùs Pœnitentia publica imponebatur, & rurfus longior imponebatur Pœnitentia fecreta jejuniorum; cujus tamen utriufque boni jactura, eo alio duplici bono compenfatur modò, quod longè numerofiores funt Religioforum, publicè & fpontè pœnitentium cętus; & longe frequentior eft nunc ufus fecretę & Sacramentalis Pœnitentię.

Cęterum ingreffus in Ecclefiam interdicebatur olim multis, interdicitur etiam modò non paucis, qui à reliquo Chrifti corpore, per anathemata feparantur. Arcebantur olim plurimi ab Altaris minifterio, arcentur etiam modò nec ita rarò; qui nempe, vel à gradu fuo, quem obtinent in Ecclefia dejiciuntur, 4

vel

vel à sacro sui gradus munere obeundo suspenduntur. Ante fores Ecclesiæ consistere jubebantur aliqui, ibique accipere pœnitentiam. Ante fores Ecclesiæ prosterni jubentur aliqui, & virgæ subjicere humeros denudatos. Recitabantur publicè aliquorum crimina; recitantur etiam modò, vel in publico Templo, cùm publica fit ejuratio, vel in ampla satis aulâ, cùm fit semipublica. Carceris angustiis qui graviora deliquerant, mancipabantur olim ab Ecclesiastico magistratu; mancipantur & modò. Plurium annorum, aut perpetua Pœnitentia imponebatur olim, imponitur etiam modò vel à Fidei, morumque Censoribus, vel à supremo Pœnitentiario. Cum Relapsis non reconciliabatur ampliùs publicè Ecclesia. Nec modò eadem reconciliatur cum Relapsis in ea scelera, quæ semel ejurarunt; sed eos è sinu suo, velut indignos, quibus ampliùs habeatur fides publica, expellit. Spectabilis demum erat olim Ordo Pœnitentium, qui oculis demissis, induti sacco, nudis pedibus incedebant publicè. Spectabilis nunc etiam est, & longè numerosior Ordo Pœnitentium, qui sub arctioribus legibus vel Augustini, vel Dominici, vel Francisci, vel

Tere-

Teresiæ vel aliorum Sanctissimorum Institutorum, Pœnitentium antiquorum asperitatē, aut exæquant, aut exuperant. Non est igitur præsens Pœnitentiæ disciplina veteri prorsus absimilis, aut contraria.

D. R. Quæ enumerasti, vestigia sunt veteris Pœnitentiæ, non autem ipsa.

D. D. Nec sunt vestigia sola, nec ipsa, sed ei similis Pœnitentia, aut etiam melior, quia tolerabilior, & humanis moribus & viribus magis accommodata.



CA-



CALUMNIA II.

Refrigeſcens Fidelium Charitas præſentis Eccleſiæ benignitatem invexit.

DISPUTATIO II.

1 *Doct. Diſcr.*  ID à vobis aſſeri eſt indubitatũ, nam ita habet veſter Ægidius Gabrielis in ſuâ Morali pag. 154. *Refrigeſcente paulatim charitate, à tribus aut quatuor ſeculis, antiquus rigor eſt relaxatus.* Conſentit Gaſpar Jueninus tom. 2. diſſert. 6. quæſt. 8. cap. 5. art. 2. *Hæc mutatio contigit ex eo, quod Chriſtianorum tepiditas Canonum rigorem ferre non poſſet.* Nec diſſentit Epiſcopus Caſtorienſis, dum lib. 2. cap. 16. §. 4. loquens de

de benigniori eã praxi, quâ modo utimur, vocat eam *lanuginosam cæcamque consuetudinem, introductam à temeritate, quæ nescit artem animabus medendi, & ab ignavo timore, qui quærit hominibus placere*. Hanc autem ignorantem temeritatem, ignavumque timorem, amoremque placendi hominibus, à refrigescente Charitate exortum absque dubio dicet.

Doct. Rig. Hæc absque dubio est communis nostrorum Doctorum persuasio, nec alia videtur esse vestrorum.

D. D. Scio, id passim asseri etiam à Doctoribus non ita rigidis, non tamen ab eruditis.

D. R. Ut video, te solum facis Doctorem eruditum.

D. D. Non ita desipio, ut tanti me facio. Sed hoc parum refert. Ex his quæ dicam, intelliges, ab eruditis id asseri non posse; verasque causas, propter quas benignior hæc praxis fuit invecta & approbata, alias fuisse.

D. R. Dic ergo, quæ nam illæ fuerint.

D. D. Prima ea fuit, quòd alia fluebant 2
tempora ab iis, quæ eum rigorem depoposcerant. Fuit is rigor invectus, ut monuimus

 (disp.9.

(disp 9. part. 1. num.22.) primò ad occludendum os Novatianis, qui Catholicorum Pontificum in condonandis culpis benignitatem, carpebant semper, & damnabant. Secundò, ut ex severitate disciplinæ dignoscerent Ethnici Ecclesiam Catholicam, nec inter Fideles recenserent Gnosticos, Valentinianos, aliosque hujusmodi de grege porcorum Hæreticos, ut sæpe cum magno Christiani nominis dedecore faciebant, quos proinde monere voluit Lactantius dum ait cap. ult. lib.4. *Sciendum est, illam esse veram* (Ecclesiam) *in quâ est Religio, Confessio, & Pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus est subjecta imbecillitas carnis, salubriter curat*. Tertiò, ne tot Fideles in Persecutionibus laberentur sub eâ spe obtinendi postea sine magno labore sui lapsus veniam. *Duriorem remissionem fecit temporis ratio*, (inquit Innocentius ad Exuperinm Ep.) *ne Communionis concessæ facilitas, homines de reconciliatione securos, non revocaret à lapsu*.

Hæ tres fuere, aut solæ, aut precipuæ causæ, quæ primos illos Canones Pœniten-
3 tiales adeo severos condere suaserunt. Prædictis verò tribus causis paulatim deficientibus, aliæ tres impulerunt Canones jam conditos,

ditos,

ditos, magnâ ex parte custodire, aliquosque alios condere non parum severos. Prima ea fuit, ut Fideles abstinerent à peccatis, quæ aliis scandalo essent; vel, si id genus culpæ commisissent, tantum publicâ Pœnitentiâ prodessent ad exemplum, quantum publico flagitio nocuerant. Tunc autem, cùm non præcesserant tot exempla virtutum, cùmque ubique permixti essent Fidelibus Hæretici, Ethnicique, peccata quæ publicè committebantur, gravissimum, multoque majus, quam modò, Fidei & moribus damnum inferebant; ac propterea, digna erant, quæ severiùs punirentur.

Altera causa fuit, ut in hac vitâ Fideles eam totam pœnæ partem persolverent, quæ post remissam culpam remanet persolvenda; hinc illa tot annorum jejunia abstinentiæque, quæ præsertim, post sextum seculum Pœnitentibus, etiam cum Ecclesia, & Altari reconciliatis imponi consuevere.

Tertia causa fuit, ut esset in Ecclesia uterque Ordo, Innocentium videlicet qui perpetuam castitatem Deo vovebant publicè; & Pœnitentium qui publicam pœnitentiam, & subinde perpetuam profiterentur. Non

deerant enim, qui licet penitus absoluti, in eis Pœnitentiæ publicæ exercitationibus, eoque humillimo vitæ genere, usque ad mortem sponte perseverabant.

His de causis, necessaria aut utilis visa fuit Episcopis ea tam severa culparum vindicta; publica quidem, si publicè; secreta, si secretò peccatum esset; donec ea in Ecclesia mutatio rerum contigit, quæ aliâ viâ minus asperâ, majora bona obtineri posse ostendit, quàm quæ ex ea tam severâ disciplina obtinebantur.

4 Primam mutandi occasionem præbuit ipse major numerus Sacerdotum. Longè minor fuerat is per aliquot secula, cùm Ecclesia nondum tot prædiis ditata, tot alere Ministros non poterat. Cum ergo Populi per secretam Confessionem excoli jam eò faciliùs possent, quò plures erant qui excolerent; cumque secreta Confessio, presentissimum contra omnes animi morbos & peccata remedium sit, si præsertim sit frequens ejus usus, ut ex longiori experientiâ cognoverant Patres; non debuit ægro fieri odiosa, sed potius facilis, cum frequenter non fiat, quod est arduum. Sapienter igitur, & ex vera pruden-

dentiâ cœperunt Patres antiquum rigorem temperare.

Temperarunt autem 1. dum non coegerunt ampliùs publicos Pœnitentes in quatuor illis stationibus, cum ea vestium, corporis, animique humilitate, per plures annos aut menses consistere; sed hæc solùm præstare, nempe in foribus Ecclesiæ, vel intra ipsam, publicam aliquam Pœnitentiæ significationem exhibere, secedere inde per quadraginta plus minus dies, in locum, repurgando per fletum, variosque labores animo, destinatum; publicè postea in Templo veniam exposcere; eâque obtentâ, jejuniis aliquandiu vacare, & oblectamentis minus necessariis abstinere. Quod quidem Pœnitentiæ genus, grave erat, longè tamen minus, quàm esset ea in publica Ecclesia, stationaria & humillima Pœnitentia, de qua egimus in Præfatione ad primam partem. Videtur autem hoc primum temperamentum contigisse circa finem seculi sexti, aut etiam antea, in pluribus Ecclesiis, ut alibi notavimus, utque colligitur ex antiquissimis libris Pœnitentialibus aut sacramentalibus, quorum non semel meminimus. 5

6 Cum autem quotidiè magis experiendo cognoſcerent Patres, eâ Pœnitentiæ diſciplinâ, quamvis non parùm temperatâ, non revocari homins à peccatis, ſed à Pœnitentia peccatorum, excogitarunt aliud temperamenti genus, quod redemptionem vocarunt Permiſerunt igitur Fidelibus, ut poſſent Pęnitentias majores, & canonicas permutare in alias minores, quibus illæ redimi dicebantur. Non fuit initio id indultum abſolutè, ſed ſi non poſſet commodè fieri Pœnitentia canonica. Hinc Patres Concilii Triburienſis, celebrati anno 895. cap. 56. permittunt homicidæ, cui longa, & ſevera jejunia imponunt, *ut poſt primos quadraginta dies ſi vel in hoſte ſit, vel in aliquo magno itinere, vel longè, aut diù ad Dominicam curtam, vel ſi infirmitate detentus ſit, liceat ei tertiam feriam, & quintam, atque Sabbatum redimere uno denario, vel pretio denarii, ſivè tres pauperes pro nomine Domini paſcendo.* Et apud Abbatem Reginonem cap. 440. lib. 2. ſuæ Collectionis. *Si quis fortè non potuerit jejunare, & habuerit, undè poſſit redimere; ſi dives fuerit, pro ſeptem hebdomadis det ſolidos viginti. Si non habuerit tantum, undè dare poſſit, det ſolidos decem, ſi autem multum*

pauper

pauper fuerit, det ſolido tres (Dare autem debebat *ſive pro redemptione captivorum, ſive ſupra Sanctum Altare, ſive pauperibus in eleemoſynā* ut idem ſubdit) ſed alii poſtea plenam, 7
& abſolutam redimendi facultatem conceſſere, ſtatutā lege, ut qui talem eleemoſynam faceret, unum, aut plures menſes, vel annos Pœnitentiæ redimeret. Similiter, qui tot Pſalmos cātaſſet, qui tot metaneas ſingulis diebus unius menſis peregiſſet, nempè qui ſe tot vicibus ad terram humiliter inclinaſſet, vel proſtraviſſet: Item qui tot palmatas toleraſſet, vel ſe tot ſcoparum tunſionibus ſuper nudam carnem pulſaſſet, tantum pœnitentiæ canonicæ redimeret. Communis, & cuique permiſſus hic redimendi modus, per eleemoſynam, vel per ſui corporis flagellationem, erat (ut bene noſti) tempore Petri Damiani. Hinc in Ep. quam recitat Card. Baron. ad an. 1055. *Cum à Pœnitentibus terram accipimus* (nempè prædia, domos, pecuniam) *juxta menſuram muneris, eis de quantitate Pœnitentiæ relaxamus*. Et agens de Dominico Loricato refert, utì intrà paucos dies cedendo ſe ſcopis, & pſalteria decantando centum annos pœnitentiæ canonicæ perſolvebat. Nec tamen un-

quam ex refrigescente Fidelium charitate, has pœnitentiæ redemptiones invectas fuisse queritur is Doctor, ceteroqui rigidus, & severus.

8 Quia verò hoc redemptionis temperamentum imminuerat quidem non parùm onus Pœnitentis, sed nimis auxerat illud Confessarii, cujus interesat quoties Confessiones audiebat, expendere, & recolere, quam Pœntentiam antiqui Canones singulis peccatis imponerent, quamque novi Canones ei subrogari permitterent, quod quidem eum iningentes angustias coniiciebat, ut constat ex facto quod narrat Petrus Dam. (quod ipse disp. ultimâ partis primæ meministi) ideò fuit necessarium tertium temperamentum, quo taxatio Pœnitentiæ permissa fuit arbitrio Confessarii, jussi tamen non ignorare Canones Pœnitentiales, ut ex ipsis intelligeret cui delicto major, cui minor Pœnitentia deberetur. Semel autem traditâ Sacedotibus statuendæ Pœnitentiæ facultate, cum hi docerentur semper magis ipsâ experientiâ, longè utiliorem esse in hoc Sacramento benignitatem, quàm severitatem, rigor antiquus desiit, nempè ex destinata, eaque sanctissima

ma

ma voluntate, non autem vitio Pœnitentium, aut Confessorum.

Alteram mutandi occasionem præbuere, susceptæ sæculo undecimo contrà Turcas, aliosque nominis Christiani hostes, Palestinã potitos, sacræ bellorum expeditiones. Cum enim Urbanus hujus nominis II. ea loca Christi præsentiâ, & nostræ religionis mysteriis consecrata è fœdissimi Tyranni manibus eripi cuperet, & ingentem in id militum copiam conscribi vellet; Fidelibus edixit, ut si sacræ militiæ nomen darent, nullam aliam pro quibuslibet delictis jam commissis Pœnitentiam subire tenerentur; partim ipsã in eas Regiones profectione in Pœnitentiam abeunte, partim persoluto ex Thesauro Ecclesiæ in debitæ pro peccatis pœnæ solutionem pretio, nempè partim per imponendę; vel impositæ Pœnitentię redemptionem, partim per eam pœnę liberalem relaxationem, quàm dicimus Pontificiam Indulgentiam. Cujus sanè edicti cùm incredibilis fuerit utilitas, revocatis videlicet, ut alibi dicemus, innumeris peccatoribus ad suorum criminum Confessionem, jamdiu omissam ex timore severissimę Pęnitentię, quam Gallici 9

Epi-

Epiſcopi fortè aliis ſeveriores; injungebant, factum fuit, ut idipſum alii indè Pontifices, ſimiles in hoſtes Fidei expeditiones adornantes fecerint, utque in poſterum alliciendis Fidelibus ad frequentem Sacramentorum perceptionem, quę quotidiè magis utilis agnoſcebatur, ſępe Indulgentia, ac venia ſimilis propoſita fuerit, ac Pœnitentia ferè omnis, vel magna ejus pars relaxata iis, qui confeſſi, ſacram peregrinationem inſtituerent, aut Templum aliquod inviſerent, aut ęgris in aliquo Zenodochio miniſtrarent, aut operam ſuam, vel ſuas opes in alicujus Templi edificationem, vel iſtaurationem impenderent, vel alendis ſacris Miniſtris aliquid pręberent. Hinc pręſertim ea in Eccleſiam, quę modo viget, praxis invecta, nempè ex comperta utilitate, non verò ex refrigeſcente Fidelium charitate.

10 Tertiam demum mutandi occaſionem præbuere Religioſæ familiæ, circa decimum & duo ſequentia ſecula à viris Sanctiſſimis ad arctiſſimam vitæ rationem revocatæ, aliæque multæ paulo poſt exortæ, quæ non unam aliquam regionem inſederunt, ut Magni Antonii alumni, nec vitam coluere in victu, & veſti-

veſtitu temperatam, ut aliæ priſcæ Monachorum familiæ, ſed qualem decet eſſe vitam Pœnitentium. Seculo decimo clareſcere cœpit Cluniacenſis Ordo, ex quo velut alveari fœcundiſſimo, Monachorum multa examina prodierunt, & Galliam, Italiam, Germaniam & Hiſpaniam ſuarum virtutum exemplis ditarunt. Sæculo undecimo Camaldulenſium per Romualdum Abbatem Ordo cœpit, Vallis umbroſæ per Joannem Gualbertum, Chartuſianorum per Brunonem, & Ciſtercienſium per Robertum Abbatem, quem ipſum Ordinem poſtea, nempe ſeculo duodecimo Divus Bernardus Abbas mirifice auxit, illuſtravitque. Sæculo verò decimotertio fere omnes Mendicantium Ordines inſtituti ſunt. Cum ergo profiterentur omnes vitam maximè auſteram, non fuit opus Confeſſariis, ut iis qui graviora commiſerant, quoſque anteactæ vitæ multum pœnitebat, longam & aſperam, quam Canones Pœnitentiales ſtatuerant, Pœnitentiam imponerent, cum ſponte ſua, aut ex ſolo ſuorum Antiſtitum conſilio, quod circa hæc tempora à ſummis Pontificibus dari Pœnitentibus conſuevit, ad prædictas Religioſas familias convolarent, quod innumeri ſecere,

& lon-

& longe plures, quàm ullo unquam tempore fuerint in Ecclesia Pœnitentes; itaut pro uno, eoque non admodum magno, qui olim fuerat Ordine Pœnitentium; tot hujusmodi Ordines extiterint, quot erant in Ecclesia recèns exortæ aut restitutæ Religiosæ Familiæ. Non igitur languida Fidelium pietas veteris Pœnitentiæ jugum excussit; sed mens cœlitus immissa suasit antiquam canonum Pœnitentiam, in eam longe salubriorem, nec minus asperam Religiosæ professionis Pœnitentiam commutare.

11 Hæc satis ostendunt, suaviorem hanc administrandi Sacramenti Pœnitentiæ rationem, & vindicandorum criminum disciplinam, non hominum vitio invectam fuisse: sed potius Divino consilio, ad hunc ipsum finem, prædictas rerum humanarum mutationes ordinante Numinis Providentiâ. Cujus meæ sententiæ validissimum argumentum illud est, quòd, cùm hoc eodem tempore, sanctissimi, doctissimique Pontifices Ecclesiam rexerint, & plurima Concilia fuerint celebrata, nusquam legitur, fuisse de revocanda in pristinum statum disciplinâ Pœnitentiæ tractatum, nullus canon in hunc finem con-

conditus, nunquam de non custodita veteri censura expostulatum.

Seligam seculum decimum tertium, quo collapsum maximè fuisse veteris Pœnitentiæ studium, ac rigidam disciplinam, affirmant ac dolent semper Adversarii omnes. Hujus seculi Pontifices & Concilia recenseo, canones & decreta pervestigabo, quæram, an ullum sit de veteri Pœnitentiæ praxi, aut retinendâ, aut restituenda. 12

D. R. Immensus is labor sit, ne quæso me & te defatiges.

D. D. Ego quidem nihil defatigabor: quod autem ipse defatigandus sis, tibi tribue, qui negasti, quod non debebas. Incipiam ab Innocentio III. qui initio hujus seculi, nempe ab anno 1198. usque ad annum 1217. rexit Ecclesiam. Is (ut scribi Platina) *vir fuit doctrinâ & moribus insignis; omnium consensu, mortuo Cœlestino in ejus locum Pontifex suffectus.... in quovis genere virtutum probatissimus, dignusque qui inter Sanctos Pontifices censeatur.* Addit Ciaconius in tanti Pontificis commendationem, Cœlestinum III. ejus prædecessorem *morti proximum luculentâ oratione Cardinalibus lecto adstantibus persuasisse, ut, se vitâ* 13

vitâ functo, ne alium Pontificem eligerent quam Joannem Lotharium (id erat ante Pontificatum Innocentii nomen) *doctrinâ & moribus insignem*, quod quamvis ejus electioni obstare posset, ne eâ morientibus Pontificibus jus nominandi successorem tradi videretur, vicit tamen ingens Lotharii virtus, *tantumque valuit ejus doctrinæ, probitatisque opinio, ut in tanto Sacerdotio obtinendo, nihil ei ætas obstaret, omnium enim Cardinalium* junior erat (nempe annorum 37.). *Fuit* juris *Ecclesiastici à Regibus, & Principibus accuratus exactor, & eorumdem criminum acerrimus reprehensor, quibus in faciem restitit. Francorum, Angliæ, Portugalliæ, Cypri, Reges publicè redarguit; labem Simoniacam, & venalitatem, quantum in ipso erat, exterminavit, præcipiens, ut omnes aulæ Palatinæ Ministri, præter Scribas, & Bullarum seu Sigilli custodes, omnia gratis impenderent... Hæreticos, & malè sentientes, & Schismaticos, ad veram Fidei regulam reducere conatus, pertinaces acriter persequutus est.* Quis credat, tantum Pontificem, tam fortem, tam vigilem, tam cupidum disciplinæ, tam Sanctum, ea omisisse, quæ potissimum sui muneris erant, nihilque sollicitum fuisse de mala Sacra,

cramenti Pœnitentiæ administratione tollenda, cum præsertim paulo ante dicatur invecta? At is idem Pontifex, quamvis tam multa decreta ediderit, tot epistolas scripserit, & quamvis in Concilio Lateranensi, quod ipse congregavit, de hujus Sacramenti administratione egerit, nunquam eam Theologorum, Confessorumque benignitatem, quâ tunc Sacramentum Pœnitentiæ administrabatur, improbavit. Non igitur eam perniciosam putavit, nec vitio Pœnitentium, aut Confessorum invectam. Quin potius eam probare visus est, dum Fidelibus, onus confitendi plusquam semel in anno imponi noluit, & Confessarios *discretos* esse voluit, & *cautos, ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo, prodant aliquatenus peccatorem*. Concil. Later. 4. can. 21.

Innocentio tertio subrogatus fuit Ho- 14
norius tertius, & quidem omnium suffragio,
quod non leve est, ejus non ordinariæ virtutis
& prudentiæ argumentum, quam toto Pontificatus
sui tempore ostendit. Verum nec
ipse cogitavit quidem, de corrigenda ea, quæ
jam invalescebat Theologorum, Confessorumque
benignitate. Uti neque Gregorius IX.

rius IX.

rius IX. ejus successor, *vir* (inquit Ciaconius) *constantiâ, animi magnitudine, & vitæ sanctitate clarissimus; juris Ecclesiastici constantissimus assertor, cujus tuendi gratiâ multas afflictiones passus est; nec minis, nec precibus unquam ab eo munere strenuè obeundo averti potuit. Et cum esset vir Divini, humanique juris consultissimus, Decretalium libros viris mortalibus clementer disposuit.* Scripsit is quidem ad facultatem Theologicam Parisiensem epistolam bene longam, inque eâ aliquot ejus Scholæ Theologos redarguit, quòd nimium naturali Philosophiæ tribuerent, eâque omnia Fidei mysteria explicare se posse confiderent; perinde Fides nihil nos supra naturam attollat. In ea autem, nihil de Theologica, vel Morali in Opinionibus pertinentibus ad praxim, Pœnitentiæ benignitate agit, quamvis, ut suo loco dicetur, iidem illi Theologi, essent ejus precipui propugnatores. Epistolam recitat Odoricus Raynaldus ad annum 1228. n. 29. ex eâque apparet, quantus fuerit hujus Pontificis ardor, in novis erroribus à Theologiâ ablegandis; & quantus fuisset in corrigenda moralis Facultatis benignitate, si eam, Populorum segnities, & Sacerdotum nimia facili-

cili-

cilitas contra Patrum regulas invexisset: cùm presertim in predicta epistola totus sit in redarguendis iis, qui statutos à Patribus terminos transiliunt, & ab eorum doctrina recedunt.

Gregorio IX. post breve intervallum 15
Cœlestini IV. qui vix electus occubuit, successit Innocentius IV. tante simul pietatis ac doctrine *ut non potuerit* (sunt verba Ciaconii) *quisquam eligi utilior Ecclesiæ Romanæ Pontifex*. Patres Lugdunum ad Concilium Generale vocavit, inque ipso summi regiminis fastigio collocatus, scripsit multa in vetus Testamentum, & presertim in lib. Decretalium magno Canonistarum bono, aliaque non pauca. Adeo verò suavem hanc administrandi Sacramenti rationem, que tunc obtinuerat, non improbavit, ut probaverit potius, dum, ut refertur in summa Astensi, lib. 1. tit. 21. cum cœteris illius evi Theologis, Pœnitenti concedit facillimas imposite Pœnitentie redemptiones, mutationesque. Hec autem sunt predicte summe verba. *Notandum etiam secundum Joannem, si Pœnitentia sit imposita à Canone liberatur quis à jejunio dando denarium vel legendo psalterium propriâ autoritate*. Inno-

centius verò dicit, quod jejunia necessaria, ut quatuor temporum, & hujusmodi, non possunt redimi, nisi subsit rationabilis causa; voluntaria verò, redimi possunt sine autoritate Superioris. Voluntaria vocat quę non sunt ab Ecclesia imposita, sed voluntate & arbitrio Confessarii imponuntur.

16 Post Innocentium, Ecolesię regimen suscepit Alexander IV. anno 1254. *ecuditione & sanctitate insignis, Hæreticorum osor, quorum libros propriis manibus flammis tradidit*, ut idem Ciaconius scribit; libris verò Theologorum vel Casuistarum, benignitate plenissimis, qui tunc editi fuere, pepercit penitus, quod ipsum fecit Urbanus IV. meritorum pręstantiâ (quamvis humili loco natus esset, nec in Collegium Cardinalium cooptatus) ad summam dignitatem evectus. Eo mortuo, Pontifex creatur anno 1265. Clemens IV. *prudentiâ, moribus, & vitæ sanctitate præstantissimus*, Legum peritiâ tam clarus, ut *Lumen Juris* fuerit appellatus: tam amans Ecclesiasticę disciplinę, ut quadraginta Episcopos, quòd Manfredo adhęsissent, è gradu dejecerit; tam addictus rigidę Pœnitentię, ut à carnibus abstinere, cilicio nudum corpus

tege-

tegere, & vigiliis macerare soleret. Id tamen non effecit, ut severos Veteris Ecclesiæ Canones restitueret, aut vel unum doctrinæ tunc communis benignissimæ apicem abraderet.

Par Clementi fuit ejus successor Gregorius X. vir ex Platinâ *in omni vitâ clarus, prudentiâ rerum gerendarum, fortitudine animi, & rerum humanarum contemptu*, & ex Ciaconio, *Sanctitate, Religione, modestia, utriusque juris scientiâ, & omnium disciplinarum doctrinâ insignis*, dignus propterea, qui, quamvis non esset de numero Cardinalium, præferretur tamen omnibus à Divo Ronaventurâ, cujus judicio standum decreverant Cardinales Electores. Curavit quidem Gregorius, operâ suâ, Patrumque, quos ad Concilia vocavit, abusus omnes excindere, suumque Ecclesiæ nitorem restituere, non autem antiqum rigorem: non igitur hic ad Ecclesiæ nitorem tunc pertinere visus est; nec Sacerdotum in eo Sacramento benignitas, fuit habita pro abusu. 17

Hanc profectò benignitatem, qualis & quanta esset, noverat optime Innocentius V. qui Gregorio successit, utpotequi ex Ordine Prædicatorum, in quo tandiù hoc Sacramen- 18

 tum

tum administraverat, ad Pontificiam dignitatem fuerat evectus, nec tamen cogitavit unquam, de ea vel tollenda vel corrigenda, ut nec is, qui Innocentio successit post brevissimum Adriani V. & Joannis XX. Pontificatum, nempe Nicolaus III. quamvis fuerit, ut referunt Platina, & Ciaconius *Religionis observantissimus; & multa, ad Cleri populique Christiani commodum & utilitatem pertinentia, constituerit.*

19 Post Nicolaum III. usque ad Benedictum XI. qui initio seculi sequentis fuit Pontifex renunciatus, præfuerunt Ecclesiæ Martinus II. dictus IV. doctrinâ, rerum gerendarum experientiâ, animi magnitudine, *morum, & vitæ sanctitate insignis*, Honorius IV. *vir in omni vitâ probatissimus, & Christianæ Religionis cultor egregius*, Nicolaus IV. ex Franciscana familia *quam sanctitate & doctrina propagavit* post conciliatos cum Latinis Grecos, aliaque edita omnium virtutum exempla, ad Pontificiam dignitatem quam sanctissime gessit, evectus, Celestinus V. abdicato supremo in terris Magistratu celeberrimus, Bonifacius VIII. magnitudine mentis & animi, doctrinâ, rerum experientiâ & optimis constitutio-

tutionibus vix ulli Pontifici secundus. Horum autem quinque Pontificum nemo, de veteri Pœnitentiæ disciplinâ restituendâ, aut novâ, nempe eàdem quæ nunc viget, corrigendâ cogitavit.

Hi fuere hujus Seculi XIII. Pontifices, 20
omnes sapientiâ, & pietate præditi, plerique doctrinâ præstantes, non pauci laude sanctitatis illustres; qui profectò benigniorem hanc praxim, quam facile tollere aut corrigere poterant, utpotè recens invectam, omninò sustulissent aut castigassent, si eam dignam censurâ judicassent; dum ergo nihil prorsus egerunt, ut eam ablegarent, vel corrigerent, dicendum est, haudquaquam ab eis fuisse improbatam, nec habitam, tanquam hominum vitio invectam.

Quod ipsum simili ratione ostendo ex 21
Conciliis tum generalibus tum particularibus per eadem tempora celebratis. Centum plus minus ea fuere, & inter ea, tria æcumenica, idest Lateranense quartum, duò Lugdunensia, quibus addi potest Viennense, paulo post convocatum. In ipsis autem quamvis fuerit de disciplina revocanda, seu retinenda, seu augendâ, quin etiam de ipso Pœniten-

nitentiæ Sacramento non semel actum; de restituendis tamen in eo administrando veteris Censuræ legibus, vel saltem de ea, quæ jam in communem praxim abjerat, Ministrorum in imponendis Pœnitentiis benignitate tantillum castigandâ, actum nihil fuit. Agitur de eo Sacramento in Concilio Eboracensi, quod celebratum fuit anno 1197. deque ipsis Pœnitentiis imponendis agitur, id autem præcise statuitur, *Ne Saceodos Laico ad Pœnitentiam venienti, obtentu cupiditatis injungat, ut Missas faciat celebrari*. Agitur de eodem Sacramento in Dioclensi anni 1199. sed id mandatur tantum, *ne Confessio revele-*
22 *tur*. Agitur in Londinensi anni 1200. sed illud solum monentur Confessarii, ut maturè, & prudenter imponant Pœnitentias, parcantque famæ Pœnitentis. *Cum Pœnitentiæ* (inquiunt Patres) *quæ est secunda tabula post naufragium, tantò major adhibenda sit circumspectio, quantò magis est necessaria post lapsum reparatio, nos Sacrorum Canonum statuta sequentes, præcipimus ut Sacerdotes in Pœnitentia diligenter attendant circumstantias, qualitatem scilicet personæ, & quantitatem delicti, tempus, locum, causam, moram in peccato factam, devotio-*

tionem animi Pœnitentis : & ut Pœnitentia talis injungatur Uxori, unde non reddatur Marito suo suspecta de aliquo occulto & enormi peccato. Idem in Marito conservetur.

In Concilio autem Montinensi anni 23
1208. non solum nihil egere Patres contra Pœnitentialem benignitatem, sed ingens ejus exemplum præbuere, in statuenda pœna valde miti Remundo Comiti Tolosano, qui Petrum de Castronovo, Monachum Sanctissimum, & Inquisitoris, ac Pontificii legati munere fungentem, occidi mandarat, aliaquè tam enormia scelera Hæresis, Infidelitatis, Incestus, Sacrilegii, & alterius cujusvis generis patrarat, ut vix ullus mortalium majora unquam commiserit. Videri possunt quæ de eo refert Petrus Vallisernensis apud Odoricum Raynaldum ad ann. 1208. num. 22.

Quid circa Pœnitentiæ sacramentum 24
statuerit Concilium Lateranense, ab Innocentio III. celebratum ann. 1215. dictum est supra, cum de eo Pontifice ageretur. Ejus Concilii Canonem benignissimum servari jubet anno 1222. Concilium Oxoniense, aliumque, addidit, & ipsum favorabilem Pœnitenti, nempe hunc. *Quoniam nonnunquam ob*

defectum Confessorum, vel quia Decani Rurales, & personæ erubescunt fortè confiteri suo Prælato, certum imminet periculum animarum; volentes huic morbo mederi, statuimus, ut certi Confessores prudentes & discreti, per singulos Archidiaconatus, ab Episcopo loci constituantur.

25 Simile decretum habet alterum totius Angliæ Concilium coactum à Pontificio Legato anno 1287. de quo sic habet dictus Odoricus Raynaldus. *Approbatus est ille antiquus mos, ut ab Episcopo, in singulis Decanatibus viri probi constituerentur, qui populi, ac minorum Clericorum confessiones admitterent. In Ecclesiis verò Cathedralibus Confessores instituerentur generales.* Habuerunt quidem hujus Concilii Patres de vita Confessorum diligentem quæstionem, quamque in audiendis Confessionibus culpam committerent, indagarunt. Quamvis autem omnes eàdem benignitate hoc Sacramentum administrarent, quà modò administratur, id eis culpæ tributum non fuit, sed eorum sola cupiditas damnata fuit. *Inter cæteros etiam abusus* (inquit idem Odoricus) *nonnulli Sacerdotes, pro excipiendis confessionibus pecunias extorquebant. Statutum propterea, ut qui ea se labe contaminarent, Sacerdotio ab Epi-*

Episcopo submoverentur. Fuerunt absque du- 26
bio pleraque hujus seculi tertii decimi Conci-
lia ad eum finem celebrata, ut aut Principes
contumaces anathemate ferirentur, aut di-
scordantes ad concordiam revocarentur, aut
Ecclesiarum Immunitas propugnaretur, aut
sacræ bellorum in hostes Fidei expeditiones
decernerentur. Nemo tamen inficias ibit, in
his ipsis Conciliis, etiam de reformatione
actum esse: & rursus, præter prædicta, non
pauca alia Concilia, in hunc potissimum fi-
nem fuisse coacta, & quidem in Galliâ, ubi
benignitas Pœnitentialis invaluerat, & à
Theologis Parisiensibus, publicè, ut alibi di-
cetur, propugnabatur. Hec Concilia fuere
præsertim Avenionense, celebratum anno
1209. Tolosanum anno 1228. Narbonense
anno 1235. Albiense anno 1244. Biterrense
anno 1254. Burdegalensia duo, nempe anno
1255. & anno 1260. Senonense anno 1269.
& Bituricentia duo, nempe anno 1276. &
anno 1286.

Et quidem Avenionense, ut à primo in- 27
cipiam, inolitos in ea Ecclesia abusus excin-
dere se velle, & antiquam pietatem, quavis
ratione restituere, in ipso exordio monet, quod

est

eſt hujuſmodi. *Cum in Provinciæ partibus, refrigeſcente charitate, adeo abundaverit malitia, quòd ferè omnes indigenæ, in profundum venerint vitiorum: ut præſentibus & futuris temporibus Provincialium malitiis occurratur, innovare antiquos Canones Sancta Synodus & promulgare decrevit, eâ potiſſimum ratione inducta, quia morbis inſuetis adhibere convenit excogitata remedia, & antidota inſueta; & vulnera quæ levia fomenta non ſentiunt, mordicativis ſeu vexativis remediis curari oportet*: Terribile hunc tonitrum fulmina ſequuta ſunt contra varios hominum gradus, & pravos uſus vibrata: nullum tamen benignos Theologos ſeu Confeſſarios afflavit quidem, nedum adußit, nihil prorſus monitos, ſeveriorem in judicando vel abſolvendo adhibere cenſuram: Non igitur putarunt, eam praxim benignam, quâ tunc adminiſtrabatur hoc ſacramentum, ortam fuiſſe ex refrigeſcente charitate, cujus pravos abuſus excindere ſe velle profitentur hujus Concilii Patres.

Nihil pariter monentur in Toloſano Confeſſarii ipſi, ſed ſoli Pœnitentes, nempe ut confeſſionem peccatorum faciant ter in anno proprio Sacerdoti, vel alii de voluntate ipſius &c. Ni-

Monentur quidem in Narbonensi Fidei 28
Quæsitores, severè in Hæreticos animadvertere; non autem Confessarii in Pœnitentes. Imò quia admodum graves erant eæ pœnæ, quas Hæreticis infligendas monuerant Patres, iidem posteà monent, non intendere se Legem condere, quâ eas infligere Quæsitores prædicti omninò tenerentur. Quo sanè confirmatur quod alibi monuimus, veteris Ecclesiæ Canones Pœnitentiales, quorum usus mansit apud prædictos Inquisitores, non habuisse vim præcepti, cui parere tenerentur Episcopi vel Confessarii.

In Biterrensi, quamvis multi sint Cano- 29
nes, nullus est de Pœnitentiâ. Altum quoque de ea silentium in Albiense, quamvis ex trium Provinciarum Patribus à Legato Pontificio collectum, subtiliter inquirat in omnes utriusque Cleri actiones. Nullus similiter de fori Pœnitentialis benignitate corrigendâ, in utroque Burdegalensi. Duos habet Canones ad Pœnitentiam spectantes Senonense Concilium. In neutro tamen carpitur benignitas Confessorum; quin in secundo, quorundam Regularium severitas redarguitur, qui publicas pro delictis occultis pœni-

pœnitentias imponebant : statuiturque, *ut pro peccato incognito & occulto, cuncta pœna nullatenus statuatur, ex quo si per eum satisfiat, quoquomodo peccatum ipsum percipi valeat, vel adduci*.

30 In Bituricensi primo ex prædictis duobus, quamvis totius Galliæ, & fortè etiam Angliæ Patres ad ipsum à Cardinali Pontifici Legato convocati confluxerint ; de Sacramento Pœnitentiæ, aut de Confessariis, prorsus nihil. In altero verò Bituricensi, annua confessio iterum præcipitur, Confessarii tamen id monentur solùm, ne jurisdictionis Ecclesiasticæ Perturbatores absolvant, sed eos ad Episcopum, vel ad Romanum Pontificem mittant. Demum publicantur amplissimæ facultates ad forum Pœnitentiæ spectantes Ordinibus Prædicatorum, & Minorum à Pontifice concessæ, ut liberior & facilior populis fieret hujus Sacramenti usus. Adeò nihil de severioribus circa ipsum legibus condendis, & coarctandà circa hoc Fidelium libertate cogitatum fuit.

31 Præter prædictas Provinciales Synodos, & Lateranense Generale, de quo supra egimus, duo alia Concilia œcumenica, ut paulo

ante

ante monuimus, fuere hoc seculo celebrata, utrumque Lugduni, primum an. 1245. alterum an. 1274. Nec multo post, aliud pariter generale Viennense, nempe anno 1311. in quibus, de morum Censurâ etiam ac disciplinâ actum fuit, quamvis aliis de causis ea celebrarentur. Non igitur Pœnitentiam collabentem, aut collapsam erigere neglexissent, si hæc benignior praxis, quâ tunc hoc Sacramentum administrabatur, lapsus Pœnitentiæ fuisset, & refrigescentis charitatis effectus. Plures certè in hujus mali remedium Canones edidissent, monuissent populos, ne verterent in animæ perniciem salutare Sacramentum; censuris terruissent Sacerdotes crudeliter indulgentes; reclamassent saltem, ne malum quod eliminare non possent, admittere ac probare viderentur: *Nam Ecclesia Dei* (inquit Augustinus ad finem Epistolæ 119.) *quæ sunt contra Fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit*. Cum ergo tacuerint penitus prædicti Patres, & fecerint, eamdem praxim & ipsi sequentes, ut ex iis quæ alibi dicentur constabit, non lapsus pœnitentiæ fuit ea benignitas, nec refrigescentis Charitatis infirmitas, sed Ecclesiæ desti-

destinatum consilium. Quid ad hæc?

D. R. Nihil repono, ne me satis tuâ tam longâ declamatione defatigatum alio seculo Pontificum, & Conciliorum occidas.





CALUMNIA III.

Confessarii, Theologique, quorum causâ rigidioris Pœnitentiæ disciplina desiit in Ecclesiâ, fuere Religiosi præsertim mendicantes, qui ex Instituto suo, non sunt audiendis sæcularibus Confessionibus satis idonei.

DISPUTATIO III.

Doct. Discr.  Uid mussas? fortè id non asseritis? *Doct. Rig.* Non ita desipimus.
D.D. Sed, rogo, 1
nonne perpetuò asseritis, eo Sæculo decimotertiò, quo exortæ sunt omnes ferè Religiosæ Familiæ Mendicantium, Veterem Pœnitentiæ disciplinam fuisse extinctam? Dum autem id asseritis, certè non significatis, id

co

eo tempore accidisse vitio Parochorum, quorum jura famamque semper propugnatis. Innuitis ergò, id accidisse vitio prædictorum Regularium; & ideò, illo præsertim Sæculo, quo prędictę familię ortę sunt, desiisse dicitis antiquam in Pœnitentes censuram. Præterea, satis ostendunt quid de prędictis Regularibus Confessariis sentiatis, illæ duę vestrę propositiones nuper damnatę, nempè hę. *Confessiones apud Roligiosos factæ, pleræque Sacrilegæ sunt vel invalidæ. Parocchianus potest suspicari de Mendicantibus qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongruā Pęnitentiā seu satisfactione ob quęstum, seù lucrum subsidii temporalis.*

D.R. Ego quidem id non affero, quamvis non abs re fortasse crediderim, id munus audiendi Confessiones meliùs tutiùsque ab aliis obiri, quàm à Regularibus.

2 *D. D.* Intelligo quid sentias. Dividam igitur meam disputationem trifariam, & in duabus prioribus partibus non disputabo tecum, sed cum aliis rigidę doctrinę professoribus; & ostendam primò, antè sęculum decimum tertium quo exorti sunt Ordines Mendicantes, benignam hanc praxim quam damnatis

natis, invectam fuisse. Ostendam secundò, Religiosorum Mendicautium operâ, non solum non fuisse collapsam, sed stetisse potissimum in Ecclesia studium Pœnitentię tam Sacramentalis, quam extrasacramentalis. In tertia demum parte conferam tecum manus & evincam, ut spero, Regulares esse optimos hujus Sacramenti administratores.

D. R. Nolim autem, me detineas nimis diù Auditorem tantum.

D. D. Expediam me, ut maximè potero. Quod attinet ad primnm, Morinus lib. 10. cap. 16. num. 1. loquens de veteri Pœnitentię disciplinâ, dicit, *Ea Sæculo undecimo terminatur. statim enim post illud Sæculum, Pœnitentiæ exterioris severitas decresere, minui & obsolescere cœpit*. Igitur integro Sęculo pręcessit invecta benignitas prędictarum Religionum exortum. Nequis autem sibi persuaderet, paulatim & lento pede eam occupasse locum, ac tandem tertio Sæculo de rigore triumphasse, idem num. 2. monet, celerem fuisse hanc Pœnitentiæ declinationem, & numero 3. recenset ea, quæ relaxandæ disciplinę occasionem præbuere, quæ sanè prædictarum Familiarum originem diù præcessere. 3

Juvat autem hìc veluti chronologiam texere Pęnitentialis Benignitatis, ut alibi Rigoris
4 texuimus. Cœpit hæc quidem ante millesimum, cum cœpit redimi Pœnitentia canonica; sed circà millesimum, ingentes progressus habuit, non solum facilè permissis redemptionibus, sed eà quæ præsertim divitibus, qui magis indigent Pœnitentià, erat facillima. In aliquibus enim Regionibus. mulctis pecuniariis plerũque crimina vindicabantur, ut patet ex non paucis Concilis Anglicanis, celebratis an.958. 982.& 1034. ex Legibus à Regibus latis, ut ex lege septima, & sequentibus Aluredi Regis, & ex legibus Regis Eduardi. Eadem consuetudo Normanniam tunc occupavit, ut videre est in Concilio Lillebone habito, quod refertur ab Oderico Vitali an.1080. VertenteSęculo undecimo,nẽpè Sęculo,& amplius ante prædictorum Ordinũ institutionem invaluerat inGalliis ea consuetudo relaxandi Pœnitentiã ei, qui alquot solidos in Ecclesiarũ, vel pontium ædificatinnem erogasset, eàque ratione Mauricius Episcopus Parisiensis, ingentem illam Cathedralem Ecclesiam, Sanctissimæ Virgini Deiparæ Sacram, Parisiis à fundamentis construxit, &
qua-

quatuor Abbatias in agro Parisiensi fundavit
dotavitque. Mauricium autem, multos fuisse Episcopos imitatos, in ea tam benigna
pœnitentiæ remissione, dicit idem Moriuus
lib. 10. cap. 20.

Abeunte Sæculo duodecimo, & inci- 5
piente tertiodecimo, antequam prædicti Ordines instituerentur, vel saltem ita propagarentur, ut possent novos mores inducere,
scripserunt Præpositivus, Robertus de Flammesburg, Petrus Pictaviensis, & alii. Ex
eorum autem scriptis colligitur manifestè
fuisse tunc Sacramentum Pęnitentiæ benignè administratum. Igitur Pręposiltivus, celeberrimus suo tempore Doctor, Academiæ
Parisiensis Cancellarius, in sua summa manuscripta, quæ asseruatur in Bibliotheca
Victoriana, fol. 55. part. 1. prædictas Episcoporum relaxationes, vel Indulgentias, quibus certè corruit tota severitas Pænitentiæ,
approbat. Sic enim habet. *Quæritur de absolutionibus, quæ fiunt per Episcopos, cum dicunt,
quicumque tali loco dederit denarium unum, remittetur ei &c. Utrum aliquis ibi dans ex devotione, intelligatur absolutus; quod videtur, quia
Dominus dicit, Quæcumque solveritis super ter-*

ram &c. sed hanc absolutionem facit Episcopus justè & sine errore, iste ergo dans absolvitur. Item generalis est consuetudo Ecclesiæ, contrà quam non est disputandum, ergo talis absolutio valet. Contrà videtur esse inconveniens quòd propter tres denarios, quos quis dat in tribus locis, ab omni pœna absolutus sit, & in hac parte melior est conditio divitis quàm pauperis; quia pauper dare non potest, idcircò non tam citò absolvitur. Solutio. Credimus valere talem absolutionem. Notanda sunt autem præsertim ea verba, *Generalis est consuetudo Ecclesiæ*, jam igitur ea benignitas in generalem Ecclesiæ consuetudinem migrarat.

6 Robertus de Flammesburg Canonicus Sancti Victoris, & Parisiensis Pœnitentiarius in quinta parte Libri Pœnitentialis, fusè describit quà ratione se gereret iu Confessionibus audiendis. *Considero* (inquit) *circumstantias confitentis, ætatem, conversationem, divitias, paupertatem, vires corporis, & similia, & secundum quod ego video, punio. Si Canonicam nou vult recipere Pœnitentiam, ideſt à Canonibus institutam, diligenter admoneo, ut animam suam nullo modo lædat, & PROMPTISSIMUM ME OFFERO AD QUAM-*
TAM-

TAMLIBET POENITENTIÆ ALLEVIATIONEM. In tribus consistit Pœnitentia, Jejuniis, Orationibus, & Eleemosynis. Quandoque omitto unum pro alio, secundùm quod video expedire, propter varios rerum eventus; ut quoniam unum non potest facere, aliud faciat. Aliquando patitur recidivum peccandi, sed rarò; tunc aggravo antiquam ejus Pœnitentiam, vel extendendo eam, vel exasperando, vel utroque modo, si expedit. Quandoque patitur aliquis recidivum peccandi, sed frequenter: Tunc timeo, quòd desperet, vel succumbat, si ei semper aggravetur Pœnitentia, non solùm cum antiquâ remitto eum Pœnitentia, sed quandoque eam relaxo, quandoque & ex toto relaxo, semper monens, ut à peccato cesset. Quando quærit aliquis, Domine si non cavero mihi à peccato, & istam, quam dedisti mihi persequutus fuero Pœnitentiam, nunquam plus confitebor. Et dico, Frater in fine vitæ tuæ omnia debes evomere, vel si frontem habes teneram, & de facili rubes, vel si virum inveneris, de quo bene speres, ut ejus utaris consilio, secundum conscentiam tuam, quando volueris, confitearis. Multum enim valet, quod quis pluribus confiteatur. Sed quandiù tibi portabilis est, nunquam,

quam dedi, Pœnitentiam minuas &c. Quando Pœnitens canonicam non vult suscipere Pœnitentiam, moneo eum, & rogo: Amice incipe, & proba, & si sustinere potes Pœnitentiam istam, dabit tibi Deus gratiam & fortitudinem, alioquin mitigabo tibi & subjungo, si aliud fieri non potest, cessa à peccato, & ad libitum tuum, quod volueris tibi mitigabo. Elegi enim semper magis misericors esse, quam rigidus.

7 Hic notandum est primò, Robertum, nunquam mentionem facere de denegandâ, aut dfferendâ absolutione, non quòd absolveret indispositos, sed quia Pœnitentem non satis dispositum disponebat. Id enim putabat vir doctissimus ad munus Pœnitentiarii, quod ipse gerebat, ut est institutum à Christo Domino, pertinere; non autem exigere à Pœnitente prævios longos fletus, multi temporis emendationem, severa jejunia, aliaque hujusmodi, quæ vos exigitis, minus docti, minusque pii, quàm Robertur, publicus in tanta Urbe Pœnltentiarius, summâque non solum doctrina, sed pietate preditus, ut apparet in allata ejus praxi, in qua eminet simul animus cupidissimus disciplinæ, & benignissimus; unde ea tam enixa adhortatio ad Pœniten-

nitentiam; & simul voluntas promptissima eam mutandi, minuendi, & relaxandi, ad libitum ipsius Pęnitentis. Quod in Roberto notari volui, notari debet in reliquis illorum temporum doctissimis Institutoribus, nihil pariter agentibus de his absolutionis dilationibus, & operosis Pęnitentis, antequam absolvatnr, probationibus.

Notandum est 2. quàm benignè se gerat cum Relapsis, ne emendationem desperantes pejora committant; quamque prudenter eis, in remedium pudoris suggerat, ut Confessarium potius mutent, eligantque eum, de quo bene sperant, quam confessionem omittant.

Petrus Pictaviensis, Canonicus Abbatiæ 8
Sancti Victoris, vir hoc eodem tempore celebris, & confessionibus audiendis ipse etiam præpositus, adeoque non longo solum studio, sed experientiâ doctus, scripsit librum pęnitentialem circa annum 1220. In eo autem fol. 3. sic habet. *Pro hujusmodi peccatis contra naturam, & pro adulteriis, & incestibus, & consimilibus, solent injungi jejunia in pane, & aqua secundum tempus, quo moratus est in peccato, & secundum alias circumstantias, vel com-*

penset. Pro simplici fornicatione simplicia jejunia, nisi personæ, vel aliæ circumstantiæ occurrant, & etiam cum ovis, & caseis, maxmè si sint pauperes, vel in alieua mensa. Nam & tunc datur alia compensatio propter scandalum. Idem tit. de compensationibus. *Omnes, qui ex justa causa videantur non posse, sine magno gravamine, frequenter, vel in arcta dieta jejunare; possunt redemptiones vel compensationes adhibere, per orationes, per jejunia, per eleemosynas per peregrinationes, vel disciplinas, vel abstinentiam à carnibus, vel piscibus, vel hujusmodi, secundum statum personarum, à vino, vel in Quadragesimalibus cibis.* Tandem in fine hujus Pœnitentialis hoc addit. *Non videtur, quod pro peccatis occultis, debeat Pœnitens aliquis arctari præcisè ad aliquod genus satisfactionis nolens, sed redimere potest, vel aliter compensare.* Ex Petro igitur habemus, easdem tunc solitas injungi Pęnitentias, quæ postea injunctæ sunt, & modo injunguntur, & facile fuisse in alias commutatas per redemptionem, vel compensationem, quod nescio an vos ita facilè permittatis. Hanc autem praxim valde benignam, proponunt horum temporum scriptores non tanquam ab ipsis excogitatam, sed

ut

ut antea invectam, & communem.

Jam ergo invaluerat Pœnitentialis beni- 9
gnitas, cùm prædicti Ordines Religiosi sunt instituti, & cęperunt per Orbem propagari. Tantum verò abest, ut fuerint ejus amplificatores, ut potius à nimia aliquorum benignitate recesserint, & studium rigidę Pęnitentię iu Fidelibus accenderint, quod secundo loco probare constitui.

Duę erant eo tempore, pręcipuè ex pertinentibus ad Sacramenti Pęnitentię administrationem, controversię. Prima ea erat, an valeret ea Pęnitentię relaxatio, qua Episcopi pęnam culpis debitam remittebant iis, qui in ędificium Ecclesiarum, vel alia publicæ utilitatis opera, aliquid contulissent e. g. unum denarium. Et valere eam docebant aliqui absolutè, quin sanctam eam esse contendebant. Inter hos erat Guilelmus Parisiensis Episcopus qui capite ultimo de sacramento Ordinum, omnium diffusissimè de his relaxationibus disputat, objectiones solvit, & earum utilitatem, quibus potest rationibus explicat & probat. Quare Morinus lib. 10. cap. 21. num. 9. de prędicto Guilelmo loquens: *In prædicandis, laudandis, & ampliandis relaxatio-*

xationibus illis, laxissimus fuit Parisiensis ille Episcopus. Et patet ex verbis ipsius: sic enim prædictus Episcopus tuetur eam praxim loc. cit. *Honor, cultus ipsius* (nempe Dei) *atque servitium, non solùm supplet quod de Pœnitentiis per Indulgentias detrahitur, sed etiam superabundat in multo: maxime cùm sacrificium laudis, orationum incensa & laudum thymiamata plus Deus diligat, quàm tormentorum Pœnitentialium carnificinam, sicut ipsemet testatur Isaiæ* 58. Et post multa. *Episcopalis ergo potestatis & officii est, carnificialem illam afflictionem, quantamcumque, sive pro parte, sive pro toto, sicut expedire viderit, in ædificationem Basilicæ, vel aliud simile bonum vel alterius modi, quod publica requirit utilitas, commutare*. Religio-
10 sorum Ordinum paulo ante Fundatorum Doctoribus, hæc Episcoporum benignitas non arrisit. Albertus enim, in 4. dist. 20. art. 17. de valore Relaxationum disputans, non vult eas valere sic absolutè, sed solum si accedant sex conditiones. Inde concludit. *Consilium meum in talibus solet esse, quòd etiam post Relaxationem Pœnitens maneat in Pœnitentia, quam Discretus Confessor, post diligentem examinationem & confessionem injungit*,

quia

quia ille non injungit tantum pro reatu delendo, sed etiam ut sit medicina contra pronitates contractas ex antiquis peccatis. Similiter Alexander Halensis membr. 6. quæst. 23. quærit, an is, cui tota pœna per liberalem istam condonationem remissa est, teneatur injunctam à Confessario Pœnitentiam implere, & respondet, *quòd non oportet opportunitate necessitatis sed tantum opportunitate expeditionis: licet enim tantum sit alicui collatum de Indulgentia, quantum sufficit sibi ad deletionem totius pœnæ, quam debet pro peccatis; tamen non expedit illi prætermittere sibi injunctam, sed expedit quod illam adimpleat quandiù vixerit*. Hos duos Theologorum Principes, sequuti sunt reliqui Regulares Theologi, nec ipsi sic absolutè eas relaxationes approbantes. Ex his patet, quam Religiosi eorum temporum Doctores laxitatem non adamarint in foro Pœnitentiæ, quamque, falsum sit, eorum causâ collapsam tunc fuisse rigidam disciplinam.

Altera eorum temporum controversia 11
ea erat, an penderet penitus ab arbitrio Confessoris taxare Pœnitentiam, ita ut posset pro libito majorem aut minorem eam imponere. Affirmabat prædictus Guilelmus Episcopus Pari-

Parisiensis, cujus sententiam laxissimam jure appellat Morinus lib. 10. cap. 15. num. 12. eamque communem tunc fuisse non diffitetur. *Vulgatum enim erat* (inquit) *illo tempore axioma apud eos omnes, qui Confessionibus audiendis erant præpositi, Pœnitentias esse arbitrio Confessorum imponendas*. Et testatur Alexander Halensis 4.par.summæ quæst.21.memb.3. art. 1. qui fuit Guilelmo familiaris, solisque tribus ante ipsum annis mortuus est. *Quidam dicunt, & fere omnes Confessores, quòd omnes Pœnitentiæ sunt arbitrariæ, idest in voluntate Sacerdotis; & potest dare plus vel minus pro voluntate suâ, nec peccat, & hoc ex vi clavium.* Hanc opinionem sequitur Cardinalis Hostiensis lib. 5. Summæ de penit. & remiss. num. 60. additque, *hanc opinionem approbat consuetudo: quia generaliter hoc servatur*.

12 Adhuc tamen prædictis Religiosarum Familiarum Theologis non placuit penitus hęc opinio. Halensis enim 4. par. Summæ quęst. 21. memb. 3. relatâ utrâque sententiâ affirmantium & negantium, mediam amplectitur, nempe communem nunc, & omnino tenendam, nempe quod *neque sunt omnino arbitrariæ, neque quod omnino sententiæ San-*

ctorum

ctorum ſunt tenendæ. Eadem fuit doctrina Alberti magni, monentis in 4. diſt. 20. art. 14. in Pœnitentia imponenda, tria ſaltem eſſe attendenda, peccati qualitatem, contritionis quantitatem, & Pœnitentis ſtatum.

Sed alià quoque ratione Pœnitentiam 13
ac diſciplinam ſuſtentare eo ſeculo curarunt prędicti Ordines Regulares, nempe exemplo ſuo, eâque vivendi ratione quam profitebantur; quę tota erat ad rigidiſſimam Pœnitentiam compoſita. An non major fuit quavis canonicâ Pœnitentia, arctiſſima illa paupertas, obedientia, abſtinentia, rerum omnium humanarum abdicatio, orandi, pſallendique ſtudium, & reliqua tam multa, quę complectitur Regularis diſciplina, quam profectò rigidiſſimam prędicti Ordines in ſuo przſertim exortu, totoque eo primo ſeculo profeſſi ſunt? Cum igitur tam multi in has Familias fuerint ex omni gradu ſtatim cooptati, nullæque jam eſſent Urbes & Oppida majora, in quæ non fuerint ſtatim horum ordinum ductæ Coloniæ, cumque præterea prædictæ Familiæ omnes aut pleræque, tribus Ordinibus conſtent; Clericorum, qui Altari ſerviunt; Laicorum, qui domeſtici famulatus munia

obe-

obeunt, & Secularium, qui in Domibus suis, certis quibusdam pœnitentiæ legibus adstringuntur, & Pœnitentes tertii Ordinis appellantur, illud effectum fuit, ut (quod innui disput. 1.) in immensum excreverit numerus pœnitentium, nulloque alio seculo, tam ardens fuerit publicæ, privatæque Pœnitentię studium, quàm eo, quo collapsam penitus fuisse Pœnitentię disciplinam dictitant tam multi tuæ scholæ Doctores, quamvis se jactent supra ceteros, eruditos.

14 Hic autem, quoniam eorum meminimus, qui hujus, de qua agimus, benignitatis auctores fuere, vel fautores; illud volo, nt animadvertas (quod si animadvertisses, amares fortasse quod modò damnas & execraris, nempe benigniorem hanc praxim, quam rejicis) in Galliis præsertim eam usurpari ceptam fuisse Gallico Pontifice occasionē dante, dantibus Gallicis Episcopis incrementum. In Galliis inquam, ubi maxima fuerat antea severitas Pœnitentiæ ac disciplinæ, ut constat ex libris Capitularium Caroli Magni, aliorumque Gallicorum Imperatorum, ex Gallicanis Conciliis, & Gallicorum Episcoporum ad Pontifices Romanos Epistolis, studioque in Decre-

tis

tis Pœnitentialibus colligendis impenso. Igitur qui primus causa fuit, aut saltem occasio hujus Pœnitentialis benignitatis, Romanus Pontifex fuit, natione Gallus, Urbanus II. dum eos, qui sacræ militiæ nomen dedere, Pœnitentiis omnibus, quas ob commissa scelera, pendere debuissent, misericorditer exolvit. Hinc enim cęptum est relaxate Pœnitentias canonicas præsertim per Galliam. Qui verò eam recentem benignitatem maximè foverunt, duo Episcopi Parisienses fuere, Mauritius alter qui beneficium ab Urbano collatum iis qni sacram, eamque plenam periculis & laboribus militiam suscipe-rent, in eos transtulit, qui aliquot solidos, Templis, & Pontibus construendis darent: alter fuit Guilelmus, qui, ut paulo ante dixi, initã à Mauritio viam in relaxandis Pœnitentiis incessit; nec indecorum putavit, quod imponendæ Pœnitentiæ regula esset arbitrium Confessoris, iis in regionibus, quæ veterum Pœnitentium lamentis personabant. Adeo verum est, nunquam satis placere quæ presentia sunt, eaque probari magis quæ præteriere. Cum rigor obtinebat in Galliis, displicuit, hinc benignior praxis statuta, omnibus pro-

probata, eaque habita tanquam praxis Apostolica. Nunc verò, cum benignitas obtinet, ipsa displicet, & rigor antiquus tamquam optimus, & Apostolicus à tam multis amatur, & vix non revocatur.

Jam verò tecum mihi agenda res est, atque ostendendum, à Regularibus Mendicantibus scitè sanctèque, & meliùs quàm ab aliis Sacramentum Pœnitentiæ administrari.

15 *D. R.* Meliùs, nempe benigniùs, non autem tutiùs.

D. D. Quid? Revocas in dubium potestatem?

D. R. Non equidem, revocarunt tamen aliqui.

D. D. Nempe, quos non pauci Pontifices anathemate percusserunt, quosque optimè describit Bonifacius IV. eâ Constitutione, quam edidit contra eos, qui Monachis potestatem hanc inesse posse negabant. *Sunt nonnulli* (audi pulchrum elogium) *Sunt nonnulli fulti nullo dogmate, audacissimè quidem zelo magis amaritudinis asserentes, Monachos, quia Mundo mortui sunt, & Deo vivunt, Sacerdotalis officii potentiâ indignos, neque Pœnitentiam, neque Christianitatem largiri, neque ab-*

sol-

solvere posse, per Divinitus injunctam Sacerdotali officio potestatem, sed omnino labuntur &c. Ejusdem farinæ fuerunt illi, qui eandem Mendicantibus invidiam conflarunt, eisque potestatem, saltem sic amplam ut certè habent, denegarunt. Prætexuerunt hi conatibus suis zelum, animarum saluti advigilantem, sed zelum amaritudinis, zelum non charitatis, sed malignitatis & invidiæ in eos, quorum apud Populum, & Principes viros, major gratia est, major æstimatio, ex qua ille oritur omnium ad eorum Ecclesias concursus, quem ad suas derivari cupiebant malignissimi susurrones, iidemque audacissimi, ac *nullo fulti dogmate*, nullius videlicet sanæ doctrinæ fundamento subnixi. Sed quoniam 16
tu ex illis non es, qui eis denegas potestatem, cur dicis *tutiùs* hoc sacramentum suscipi à Fidelibus, si ab aliis illud suscipiant quàm à Mendicantibus? Num quia Mendicantes, cùm ex eleemosynis vivant, ut Pœnitens liberalior sit, liberaliùs ipsi ejus culpas condonant; & leviores, quàm par sit, Pœnitentias imponunt?

D. R. Quis neget esse plerumque pravum Doctorem, & infidelem Consiliarium eum, qui indiget? E *D. D.*

D. D. Igitur, nec Parochus plerumque audiendis Confessionibus erit idoneus; cùm enim Parochi plerique saltem in nostris Regionibus rei familiaris angustiis premantur cumque non pauci ex ipsis ditescere cupiant, longe major suspicio est, ne ut Pœnitentium gratiam ineant, eorumque aut largitione aliquâ, aut officiis apud Principes juventur, culpis ipsorum conniveant. Vel si hac suspicione carent ipsi, potiori jure debent eâ carere Regulares. Certè in iis multis, quæ superiori disputatione recensita sunt, Pontificum, Conciliorumque decretis, Religiosorum Mendicantium in hoc Sacramento administrando cupiditas, nec redarguitur, nec coercetur, sed aliorum Sacerdotum, ut in Londinensi celebrato anno 1200.
17 ubi sic. *Adjicimus, ad Sacerdotum cupiditatem resecandam, ut Missæ non injungantur in Pœnitentia iis qui non fuerint Sacerdotes*, & in altero pariter Anglicano anno 1238. de quo loquens Odoricus Raynaldus ann. cit. *Inter cæteros etiam abusus, nonnulli Sacerdotes, pro excipiendis Confessionibus pecunias extorquebant; statutum propterea, ut qui ea se labe contaminarent, Sacerdotio ab Episcopo summoveren-*

ren-

rentur. Nec Simonia, quæ hujus perversæ cupiditatis proles est, quæque circa decimum Ecclesiæ seculum tam multos Ecclesiæ Ministros verterat in sacrilegos Nundinatores, Regularium labes fuit, quin potius ipsorum nempe Norberti, Joannis Gualberti, Petri Ignei, Petri Damiani, aliorumque Cenobitarum labor, & laus fecit, quòd fuerit suus nitor redditus Sacerdotio, & Sanctuarium repurgatum. Non igitur cupiditas aut indigentia, magis suspectos reddit Mendicantium Ordinum Confessarios, quam reliquos, claustri lege solutos.

At ex aliis capitibus, quàm melior eorum conditio? 18

D. R. Et quæ nam sunt ista capita? Recensebis ne inter illa, probitatem & innocentiam? Id si feceris, ridebunt omnes. Quem enim latent scandala Religiosorum?

D. D. Id si fecero, probabunt sapientes omnes, quos non latet, quam sæpe falsi de Religiosis rumores spargantur; quàm sæpe, quod leve est, aut minus grave, ut atrox facinus evulgetur ab invidis aut ab iis, qui cupiunt habere ad sui excusationem Religiosos socios delictorum, quàm plures in claustris

 sint,

ſint, qui vitam innocentem degunt, ſed populo ignotam, vel quia ſecreta virtùs eſt, vitium autem effrons; vel quia Religioſi habent in Monaſteriis unde bene vivant, non habent undè male vivant, exire ergo in publicum, & apparere malos neceſſe eſt, non item bonos; vel quia naturæ noſtræ vitio, aliorum male facta evulgamus ſtatim, non autem bene facta, quæ nolumus imitari; vel demum, quia morum cenſura poſtulat, ut mali accuſentur, non verò, ut boni prodantur, quod efficiebat, ne D. Auguſtinus pravam de ſuo populo opinionem conciperet. Deferebantur ad eum nomina adulterorum, non inde tamen omnes ſuæ diecesis Maritos adulteros appellabat, cùm optimè ſciret, deferri ad ſe nomina adulterorum, non autem eorum, qui thori jura ſervarent, non quia deeſſent, ſed quia latebant, nec Eccleſiaſticum Tribunal poſtulabat, ut hi, ſed ut illi proderentur, quod infelicitati ſuæ tribuebat hom. 49. lib. 50. hom. *Inde eſt autem miſera conditio mea, quia plerumque cogor adulteros noſſe, caſtos noſſe non poſſum. In occulto eſt, unde gaudeam, in publico eſt, unde torquear.* In occulto eſt, unde Regulares laudentur; in publico,

blico, unde vituperentur; patent mali, latent
boni, ex quorum, qui longè plures sunt, be-
nefactis, ferendum de Regularibus judicium
est.

Alterum caput hujus Regularium 19
Confessorum supra cœteros prærogativæ est
eorum major plerumque ac tutior doctrina.
Ei siquidem comparandæ, ab ipso in Religio-
nem ingressu insudant; eique augendæ toto
inde vitæ tempore allaborant, nec ex genio
suo, sed ex Majorum regulâ imperioque. Et
quidem tutiores esse hac in re Regulares, ex
eo etiam constat, quod vix unus semper fuit
Regularis impostor pro mille non Regulari-
bus Clericis, qui variis erroribus Fideles à
Catholicæ doctrinæ tramite abduxerunt.

Tertium caput est eorum, quæ ad vitia, 20
virtutesque, artes Demonum, humanæ na-
turæ vim, indolem, & affectus pertinent,
experientia, quæ longè major in Religiosis
viris solet esse, qui ista perpetuò tractant, qui
domi habent optimos institutores, veteranos
Religiosos, dirigendis per semitas virtutum,
ac triplicem illam viam Purgationis, Illumi-
nationis, & Unionis cum Deo Pœnitentibus
assuetos; quique his ipsis viis, aut ipsarum

aliquà incesserunt ipsi aliquando, & pericula notarunt, eventusque omnes, aut prosperos, aut infelices.

21 Demum Cœlestis favor & auxilium, sine quo nihil feliciter, cum quo feliciter omnia eveniunt, Religiosis Confessariis magis adesse videtur, dum qui eorum utuntur in moribus magisterio, faciliùs, & feliciùs in virtute proficiunt, inque ipsum enituntur apicem sanctitatis. Id autem ex eo facilè colligi potest, quòd ferè omnes, qui his postremis quinque seculis, in Sanctorum album relati fuere, aut Religiosi Mendicantes fuere, aut usi sunt Confessariis Ordinum Mendicantium. Quare mirum non sit, quod unus aliquis ex ipsis sit semper Romano Pontifici à Confessionibus, quodque tam amplis privilegiis, ut id munus facilius obirent, eoque pluribus prodessent, fuerint locupletati. Id sane non fecissent Summi Pontifices, nec semel factum tuerentur, cum præsertim tam multi semper obstrepuerint, nisi perspectum foret, felicem & utilem esse eorum operam in hujus Sacramenti administratione populo Christiano impensam.

22 *D. R.* Fuit olim fortasse felix & utilis, non

non autem modò, cùm Regularis disciplina
penitus corruit; hinc olim, non autem hac
nostra ætate, fuerunt iis, quorum meministi,
privilegiis locupletati.

D. D. Hallucinaris egregiè: primò,
quòd putas prædictis Ordinibus in ipso eo-
rum exortu tantùm, aut paulò post, perse-
verante sanctissima disciplina, qua fuerant
instituti, ea fuisse collata Privilegia, quorum
feci paulò ante mentionem. Secundò quòd
credis, laxiorem modò, quam unquam an-
tea, vitam ab eis institui.

Ut primum errorem deponas volo te
monitum, uti ampla Mendicantium Ordini- 23
bus privilegia contulit non solùm Alexan-
der IV. paulò post eorum exortum, cum san-
ctissima in eis disciplina vigeret, sed longe
post, nempè sæculo decimoquinto Euge-
nius IV. ut videre est apud Casarub. in Com-
pendio Privileg. Et post Eugenium amplissi-
ma largitus est Nicolaus V. Sixtus IV. Addi-
dit alia Innocentius VIII. Leo autem X. col-
lata ab aliis confirmavit, cumulavitque cum
videlicet (qui est alter tuus error) arctior
non erat Regularium vita, quàm modò
sit.

24 Tempore enim prælaudati Leonis X. sic omnium Mendicantium Ordinum disciplina corruerat, ut ejus Successor Clemens VII. hanc esse putarit præcipuam causam malorum, quibus ipse tunc, & Ecclesia tota conflictabatur, quare (ut refert Frater Felix de Castel-Franc in appendice ad perbrevem sui Ordinis historiam Jacobi de Susato) cum Romæ in Arce S. Angeli ab hostium exercitu obsideretur, *inter cætera vovisse fertur, si Deus illi quietem præstitisset, ac libertatem, daturum se operam, ut Ordines Mendicantium, ad antiquam vivendi formam revocarentur*. Hanc ipsam prædictorum Ordinum calamitatem deflet idem Historicus ibidem, infelicia ea tempora describens. *In Anglia, Dacia, Scotia, Bohemia penitus interiit* (Regularis observantia) *Vix apparet in Ungaria, Saxonia, Polonia, Theutonia. Labitur in Provincia, & inferiore Germania. Laborat in Tolosana, & Francia. Languet in Græcia, & terra Sancta. In Provinciis Hispaniarum, ubi restitui cœpta fuerat, adeò refrigescere cepit rigor ille Regularis observantiæ, sanctioris vitæ disciplina, ut cum Propheta plorare possimus: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* Non

igitur

igitur sanctior fuit ante hæc nostra tempora prædictorum Ordinum disciplina, sed laxior potius, latiùsque diffusa. Igitur qui fieri potest, ut tunc audiendis Confessionibus haberentur peridonei, & privilegiis ad id fulcirentur; nunc verò suspecti in eo munere judicentur, aut, ut dicis, non satis idonei?

D. R. Cur ergo modo, si laxiore non 25
est Regularium vita, ei reformandæ sic allaborant Pontifices, quod non videtur aliàs factum.

D. D. Imò factum fuit semper, ex quo Regulares esse cœperunt. Hinc frequentissimi sunt in hunc finem, Pontificum,& Conciliorum Canones, frequentissimæ utrorumque de neglecta in domibus Regularium disciplina querelæ. Id lamentabatur Sæculo quarto Imerius, ad Siricium Papam scribens,qui remedium tāto malo adhibere curavit inde alii, Pōtifices,Synodique.Concilium Tarraconense circà annum 483. cap. 11. *Nullus Monachorum forēsis negotii susceptor,vel executor existat, nisi quod Monasterii exposcit utilitas, & Abbate imperante*. Agathense anno 506.cap.28. *Monasteria Puellarum longiùs à Monasteriis Monachorum, aut propter insidias Diaboli, aut*

prop-

propter oblocutiones hominum collocentur. Aurelianense primum an. 508. cap. 21. *Monachi Abbatibus omni obedientiâ, & devotione subjaceant. Quod si quis per contumaciam extiterit indevotus, aut per aliqua loca vagari, aut peculiare aliquid habere præsumpserit, omnia quæ acquisierit ab Abbatibus auferantur*. Turonicum circa annum 570. cap. 15. *Nullus Sacerdotum ac Monachorum, colligere alium in lecto suo præsumat. Nec liceat Monachis cellas habere communes, ubi aut bini maneant, aut peculiares reponi possint, sed schola labore communi construatur, ubi omnes jaceant, aut Abbate, aut Præposito imminente*. Cap. 16. pœna Monacho ducenti uxorem statuitur. Cap. 17. Monachorum per totum annum jejunia recensentur, ut observentur. Concilium Toletanum 4. an. 633. cap. 48. 49. 50. 51. 52. Lateranense sub B. Gregorio magno pluribus decretis, Ticinense sub Ludovico Imperatore, quem ita alloquuntur Patres. *De Monasteriis aut Virorum, aut Fœminarum, quod jam maximâ ex parte Ordinem suum amiserint, omnibus est manifestum. Quæ ut ad pristinum statum reducantur, in Domini, ac Genitoris vestri, ac vestrâ gloriosâ dispositione consistit*. Prætereo canones

Pon-

Pontificum & Conciliorum minus antiquorum, utpote magis notos, & nimis multos, quibus curatum ſemper eſt, ut antiqua ſanctitas in domibus Regularium refloreſceret.

D. R. Nunquam tamen, ut hoc ultimo 26 ſæculo, huic operi Pontifices totum animum addixere.

D. D. Id quoque fortaſſe falſum eſt. At, ſi verum hoc eſt, alia ratio ab eâ quam putas, eos impulit ad hanc curam.

D. R. Ecque nam illa eſt?

D. D. Dicam. Quamvis nihil minor, ſed potius major fuerit olim Regularis diſciplinæ languor, tamen cum longè pauciores eſſent in Eccleſia Religioſi Ordines, & ſinguli haberent pauciores domos, non ita frequentia erant Regularium delicta; eaque ipſa, cùm procul ab Urbibus eſſent pleraque Monaſteria, non ita ſecularium oculos, & animum offendebant. At modò, exortis tot novis Ordinibus, ipſiſque antiquis latiùs propagatis, ut longè plures ſunt Regulares ipſi, ita plures ſunt qui delinquunt, iique ipſi, erectis non procul ab Urbibus, nec in earum angulo, ſed in mediis Urbibus Monaſteriis, clam peccare non poſſunt. Cum ergo modò, & ex majori

nu-

numero Religiosorum, & ex loco, scandalum frequentius sit, & inde major Fidelium ruina; jure optimo Pontifices ardentiùs modò hanc restituendæ in Claustris disciplinæ curam suscepere.

27 *D. R.* At cur non exterminant potius Ordines istos degeneres, aut cur saltem non cogunt eos arctiorem regulam custodire?

D. R. Quia neutrum facile, & statim faciendum est. Primum fieri noluit D. Paulus, alterum facere D. Gregorius recusavit. Utramque historiam referam. Primam excribit ex Glabro Rodulpho Card. Baronius agens de Otthonis III. in Urbem adventu ann. 996. num. 35. *Contigit*, inquit *ipso in tempore*, *ut idem Imperator suggerente tam ipso Pontifice, quàm aliis quibuscũque zelum profectus Religionis domus Dei gerentibus, quos in Beati Pauli Ecclesiâ, nomine tenus Monachos, cæterum pravè degentes inde expellere deberet, ac alterius instituti* (*quos videlicet Canonicos dicimus*) *in eodem loco servituros, ut ei suggestum fuerat, subtituturus esset. Cumque hoc appeteret implere decretum, apparuit ei noctu per visum beatissimus Apostolus Paulus, atque eundem Imperatorem hujusmodi monere curavit. Si verè* (*inquiens*)

quiens) zelus Divinæ servitutis optimi operis te adurit, vide ne hujus propositi institutum præsumas in Monachis immutare expellendis. Non enim omninò expedit cujusque Ecclesiastici Ordinis, quamvis ex parte depravati, propositum unquam abiici, seu immutari. In eo namque unusquisque judicandus est Ordine, in quo se primitùs vovit Deo servire. Reemendari tantùm licet corrupto cuique, in eadem propriæ vocationis sorte. Taliter quippe monitus Imperator, retulit suis quæ audierat ab Apostolo; curamque agens, qualiter eorum institutum, scilicet Monachorum, quivisset in melius reformare, non expellere à loco, licet immutare.

Notabilia multa continet eventus iste 28 mirabilis, quæ debent expendi. Qui hos Monachos è loco suo eiici curabant, viri magnæ authoritatis erant, bonoque se zelo ad id impelli putabant, & verè impellebantur ut arbitror; at non quæcunque ex bono etiam zelo fieri volumus, optima illa sunt, ac Deo probantur. Probabilis quidem, & maximè probabilis videbatur hæc Monachorum ejectio, qui *pravè degebant, & nomine tenus Monachi* erant; cum præsertim, alterius Instituti sanctiores Religiosi subrogandi essent, at non

pro-

probavit illam Divus Paulus, optimamque eam rationem reddidit, quod *reemendari* debet quod est corruptum, non verò statim abiici.

D. R. At abjecerunt non rarò Ponti-
29 fices, exterminaruntque, non aliquot solum Religiosos, unamque aliquam eorum domum, sed totos, & integros Ordines Religiosos.

D. D. Cùm videlicet emendari noluerunt, ut Clerici etiam quandoque ejecti sunt ab Ecclesiis suis, inque eorum locum suffecti Religiosi, adeo Cœlo non repugnante, ut approbarit insigni miraculo, quale illud fuit, quod anno 975. contigit in Angliâ. Cum enim Clerici castè in eo Regno non viverent, de ipsis è suis Ecclesiis eiiciendis sufficiendisque in eorum locum sanctioris vitæ Regularibus, cogitavit S. Dunstanus Archiep. Cantuar. quod, & perfecit, nec D. Paulo, nec alio accurrente de Cœlo ad Clericorum defensionem. Cum verò expulsionem suam ægrè ferrent Clerici ejecti, omnem moverunt lapidem, ut ad Ecclesias suas redire permitterentur, & rediissent, nisi factum S. Præsulis Deus confirmasset; ut enim refert Orbertus apud Card. Baron. ann. cit. Circumstantibus Dun-

Dunstanum Episcopis in Concilio ad id coacto, rogantibusque, ut Clericorum precibus annueret, *Crucifixi Dei imago signo Crucis in edito affixa, audientibus cunctis dixit, non fiet, non fiet, judicastis bene, judicaretis non benè*. Mansitque judicium contra Clericos, pro Regularibus in eorum locum substitutis.

Illa etiam Divi Pauli verba notabilia 30 sunt quibus rationem praescribit S. Doctor, quo pravi illi Monachi *reemendari* deberent, nempe *in eadem propriae vocationis sorte. In eo namque unusquisque judicandus est ordine, in quo se primitùs vovit Deo servire*, quod effecit, ut S. Pontifex Gregorius lib. 1. Epist. 42. cogendos non putaverit Ecclesiae Siculae Subdiaconos id oneris subjre, quod illi non voverant, sed illi soli, qui ei se oneri, inviolabili, eoque libero voto submiserant, ut refert Petrus Damiani Ep. 13. lib. 5. epistolarum. *Papa quoque Gregorius Petro Subdiacono inter caetera scribit dicens. Ante triennium Subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliae prohibiti fuerant, ut more Romanae Ecclesiae suis uxoribus nullatenùs miscerentur. Quod mihi durum, atque incompetens videtur, ut qui usum ejusdem continentiae non invenit, neque castitatem ante proposuit*

suit

fuit, compellatur à sua uxore separari, atque per hoc quod absit, deterius cadat. Unde videtur mihi, ut à præsenti die, omnibus Episcopis dicatur, ut nullum facere Subdiaconum præsumant, nisi qui se caste victurum promiserit, quatenus, & præterita, quæ per propositum mentis appetita non sunt, violenter non exigantur, & futura cautè caveantur. Quâ suavissimâ reformandi ratione, non est usus cum Subdiaconis, aliisque majoribus Clericis qui voverant Castitatem, alter Gregorius, nempe VII. sed aliâ se-
31 veriori, censuris videlicet, & quadam ignominiæ notâ, quæ pudori illis esset, & contemptui. *Si qui sunt* (inquit) *Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, qui jacent in crimine fornicationis, interdicimus eis ex parte omnipotentis Dei, & authoritate S. Petri, introitum Ecclesiæ usque dum pœniteant, & emendent. Si qui autem in peccato suo perseverare maluerit, nullus officium eorum auscultare præsumat, quia benedictio illorum vertitur in maledictionem, & oratio in peccatum, testante Domino per Prophetam: maledicam, inquit, benedictionibus vestris.* Cujus summi Sacerdotis vestigiis, alii deinde Pontifices inhærentes, Fidelibus, ne horum Sacerdotum sacrificiis interessent, severè mandarunt.

Hac

Hac utrâque ratione, ſuavi fortique, 32
Concilium Tridentinum utriuſque Cleri diſciplinam magnâ ex parte reſtituit, oſtenditque, fieri etiam poſſe, ut, quantum patitur humana conditio, reſtituatur magis, eâque penitus reſtitutâ, totius Orbis Chriſtiani mores reformentur. Utroque enim Clero per viam mandatorum incedente, facile reliquis Fidelibus iter eſt ad ſalutem, quę ab adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ maximè pendet; hæc autem pendet, ut utilior ſit, à probitate Miniſtri, ut paulò ante monui. Is enim optimè Confeſſarii munus implet, qui Pœnitentem confiteri volentem comiter excipit; confiteri neſcientem, prudenter dirigit; confitentem, patienter audit; confeſſum fortiter,& ſuaviter arguit,increpat,inſtruit,timore concutit, ſpe erigit, amore virtutis incendit. Id autem qui probus non eſt, aut non facit plerumque, aut enerviter facit, ſi præſertim Confeſſarius ſecularis ſit, quem nec veſtis admodum à Pœnitente diſtinguit; nec domus & Clauſtrum à Secularibus diſiungit; nec facies ignota, vel ſaltem non ſemper viſa vindicat à contemptu, quœ ſane ratio, neceſſariam magis eſſe Confeſſariis Secularibus

probitatem plusquam mediocrem, quæ eos venerabiles faciat, ostendit: alia verò ratio eandem magis esse necessariam Regularibus Confessariis demonstrat, quod horum operâ utuntur Fideles plerique qui colunt Urbes, presertim Episcopi, Dynastæque, quibus bene monendis, majori virtute opus est, quibusque bene monitis, maxima redundat in Rempublicam Christianam utilitas. Quare id optare debemus omnes, ut Confessarii Seculares Regularesque, sancti sint; illico enim sancti aut saltem probi omnes erunt. Id facere omnino debemus ut probi simus utrique: jam enim reliqui, saltem plerique, probi erunt. Id plusquam omnino facere debemus omnes, ut neutros in invidiã vocemus, ita ut neque Regulares de Secularibus Cõfessariis nimis facile obloquantur, tanquam aut ex imperitia & socordia nimium laxis, aut ex Jansenismo nimium rigidis; nec Seculares Confessarii, Regulares, præsertim medicantes, tanquam nimium benignos, veteris disciplinæ corruptores, prodigos Sacramentorum dispensatores, Principum adulatores, laxitatis magistros appellent.

D. R. Id nunquam fiet, nisi, ut nos de rigo-

rigore, ita vos aliquid de benignate remittatis.

D. D. Id faceremus sine morâ, si ut vos rigidi nimis, ita nos essemus nimiùm benigni: quam sane culpam, à nobis abesse, cum audieris, omnia, quæ sequentibus disputationibus dicam, liquidò cognosces.





CALUMNIA IV.

His ultimis temporibus benignius fuit, quàm ſeculo decimo tertio, quo Benigna hæc Praxis invaluit, Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtratum.

DISPUTATIO IV.

1 *Doct. Rig.* Uæ hactenus allata ſunt, probant illa quidem praxim ſæculi tertii decimi non fuiſſe nimium benignam, utpote ex juſtis cauſis invectam, uſuque communi, nihil reclamantibus Pontificibus, Synodiſque, receptam; ac proinde, Regulares Ordines tunc exortos authores

aut fautores minimè fuisse damnabilis benignitatis. Hæc autem, presentem Praxim, de quâ tota Controversia est, haudquaquam absolvunt, utpote eâ longè benigniorem. Norunt enim omnes, his ultimis temporibus, benigniùs, quam fuerit unquam, Sacramentum Pœnitentiæ communiter administrari.

D. D. Necesse est igitur, me esse præter omnes, siquidem aliud ab eo novi, quod, norunt omnes. Nec novi tantùm, Praxim præsentem nihil esse eâ prædicti seculi benigniorem, sed esse forte minus benignam.

D. R. Id asseri non potest, sine manifestâ Antiquitatis injuriâ.

D. D. Quin quod assero, solo Antiquitatis testimonio probabo.

D. R. Corrumpas necessè est hoc venerabile testimonium, ut plerique faciunt, qui textus antiquos aut mutilant, aut pervertunt.

D. D. An vestrum plerique id faciant, non quæro? Id ego non faciam, ut tibi constabit, si consules exemplaria. Incipiam igitur.

Et primò, pœnas pro gravissimis culpis 2
debitas, remittebant eo seculo duodecimo,

& decimotertio Episcopi, stipem aliquam pendentibus, in pontium, vel Templorum ædificationem, aut aliud hujusmodi opus publicæ utilitatis, ut constat ex dictis præcedenti disp. 3. à n. 9. Quam Episcoporum nimiam benignitatem, fugillat Innocentius III. in Conc. Later. cap. 62. *Per indiscretas, & superfluas Indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur; & claves Ecclesiæ contemnuntur, & Pœnitentialis satisfactio enervatur*. Quin etiam post hujus Pontificis, & Concilii generalis decretum, quo videbatur ille potestatis abusus sublatus, eandem pœnarum relaxationem passim fuisse concessam, ostendunt ea, quæ in hujus indulgentissimæ benignitatis defensionem affert Guillelmus, qui post Innocentii obitum fuit Episcopus Parisiensis, & disp. pariter præcedenti fuerunt recitata à num. 9. Sic autem
3 Pœnitentes, per eas Episcoporum liberales remissiones absolvebantur pœnis omnibus, ut Confessarii, nullam aliam eis pœnitentiam injungerent, quàm, ut injunctum ab Episcopo pensum persolverent, ex. gr. ut unum denarium offerrent ad Altare, ut patet ex superiori disp. quam praxim, licet non peni-

penitus approbarint Doctores aliquot Regulares inibi allegati, tamen nec reprobarunt penitus, & reliqui passim eam sequuti fuere, unde Card. Host. de Pœnit. & remiss. §. 6. versu *Tu dicas*, reddens rationem, cur per nimias Indulgentias satisfactio eneruetur, ut docet Innocentius paulo ante citatus, dicit, *quia scilicet, non potest quis cogi per Ecclesiam ad jejunandum, propter id, quod sic per tales Indulgentias concessum est*. Nunc autem restrictior est Episcoporum in concedendis Indulgentiis potestas, ex cap. *cum ex eo de pœnit. & remiss.* Et Confessarii communiter Pœnitentibus, si præsertim gravibus culpis onerentur, non id solum imponunt loco Pœnitentiæ, ut exequantur quod Pontifex Fidelibus volentibus Indulgentias lucrari præstandum statuit, nempe ut eam eleemosynam faciant, illas preces recitent &c. sed aliquid aliud ex ratione quam affert Albertus eãdem disp. superiori num. 10. & cum aliis docet Suar. de Pœnit. disp. 38. sect. 10. num. 10.

Secundò, eodem seculo, ut pariter disp. 3. 4
ostendi, plerique Doctores dicebant, posse Confessorem arbitratu suo Pœnitentiam taxare, adeoque levem pro gravissimis culpis

imponere, quamvis Pœnitens gravem obire posset, quod fieri licitè negant modò Doctores ex Tridentino, cujus est illud Decretum sess. 14. cap. 8. *Debent Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere; ne si forte peccatis conniveant, & indulgentiùs cum Pœnitentibus agant, levissima quædam opera gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

5 Tertiò eodem tempore, aut nulla, aut vix ulla injungebatur Pœnitentia sub præcepto: poteratque Pœnitens injunctam pœnitentiam arbitratu suo redimere, adeoque in leviorem commutare. Siquidem Raymundi Glossator ipsi Raymundo ferè coætaneus, ad §. 49. de Pœnit. & remiss. hæc habet. *Propter vitandam inobedientiam, consulo, quod aut nulla, aut pauca injungatur sub præcepto; concedendo quod liceat ei jejunium sibi injunctum redimere cùm voluerit.* Eandem facultatem redimendi arbitratu suo Pœnitentiam injunctam, Pœnitenti concessit, ut alibi monuimus Innocentius, & postea Joannes Andræas, ut refert Astesanus utrique consentiens lib. 5.

tit. 30. & 31. Id modo fieri non ſolet, & quidem plerumque ex præcepto imponendam, ſaltem pro mortalibus *docent omnes*, inquit Caſtropalaus de ſacr.Pænit.diſp.unic.punt.21. §.3.num.12. Addunt aliqui cum eodem n.13. *pœnitentiam per modum conſilii impoſitam ſacramentalem non eſſe*.

Quartò. Olim Theologi, & quidem 6
primæ notæ, ut Scotus diſt.18. quæſt.1. art.1. Gabr. eadem diſt. 18. quæſt. 1. art.1. quæſt.1. art. 3. dub. 5. & diſt. 16. art.3. dub.5. Medin. tract. 2. quæſt. 45. Sylveſter verbo *Confeſſ.* quæſt.25. aliique, & Canoniſtæ præclari, ut Hoſtienſ. & Panorm. in cap. *Significavit* de pœnit. & remiſſ. docebant, Pœnitentem non teneri ad acceptandam Pœnitentiam. Cajet. tom. 1. opuſc. tract. 6. quæſt.2. ad 2. docuit, non ſolum non teneri ad eam acceptandam, ſed nec teneri ad implendam, quamvis acceptet. Utraque ſententia rejicitur modò ab omnibus Doctoribus, eamque impugnarunt Petr. de Soto lect. 4. de ſatisfact. Suar. tom. 4. in 3. p. diſp. 38. ſect.7. num.2. Vaſq. Coninc. Laym. aliique apud Caſtropal. de pen. punct. 21. §. 4. num.3. Alias plures Antiquorum ſententias recenſere poſſe, quæ modo

dò communi ſuffragio rejiciuntur.

D. R. At quam longè plures proferre tibi poſſem Recentiorum ſententias laxiſſimas & pudendas, communi Antiquorum ſuffragio rejectas?

7 *D. D.* Numerabis tu quidem laxas aliquas Recentiorum ſententias quas illius ævi Doctores non recepere, ſed nec rejecere. Sunt enim circa materiam, de qua non diſputarunt, ſiquidem ſcripſere compendiosè. Hæ igitur ad rem non faciunt, cum probare non poſſis, quale fuerit Antiquorum circa eas judicium. Rurſus, numerabis tu quidem aliquot Recentiorum ſententias laxas, aut etiam laxiſſimas, fortè olim rejectas; non ſunt illæ tamen à Recentioribus communi ſuffragio receptæ, ut illæ Antiquorum ſunt, quas modò recitavi. Demum, quas numerabis, non ſunt circa praxim ſacramenti Pœnitentiæ, ut pariter ſunt eæ, quas eo ſeculo communiter receptas dixi, non ergo ex illis colliges benigniorem nunc eſſe Sacramenti Pœnitentiæ communem diſciplinam. Cæterùm, omnis ætas habuit Doctores aliquot laxos, falſoſque Prophetas, ut patet ex Scripturis & Patribus, à quibus tam ſępe redarguuntur. Ex

eo

eo autem quod plures Recentiores numeres, non colliges esse plures, sed plures scripsisse, suaque scripta typis mandasse, quod quia non fecerunt Veteres, cum tanta non fuit sua publicandi voluntas & facultas, numerari non possunt.

Tandem fuisse praxim ejus seculi decimi tertii benigniorem, aut saltem nil minùs benignam præsenti, ostendam tibi manifestissimè, recitando eam ipsissimam praxim, quam toti suo inclytissimo Ordini servandam proposuit circa annum ejus tertii seculi quadragesimum, quintus Prædicatorum Generalis Magister, qui suis Fratribus regulas quasdam seu instructiones, quibus in singulis sui Ordinis officiis dirigerentur, sapienter adornavit. Is certè, tum pro munere quod gerebat, tum pro suâ, totiusque Ordinis sanctitate, non proposuit laxiorem, quæ tunc usurpabatur, quamque à primis Mendicantium Ordinum Doctoribus non satis probatam, ostendi disp. præced. sed bene temperatam, ac tutissimam. Si ergo ea nihil minus benigna est, quàm præsens, certè communis illius ævi praxis minus benigna non fuit, sed potius benignior. Non recitabo totam, ne longior 8

gior sim, eaque excerpam, non quę benigniora sunt, sed quæ magis pertinent ad præsentes controversias. Sic autem habet in libello harum Instructionum, adnexo ejusdem Ordinis Constitutionibus.

Circa absolutionem notandum est, quod non est requirendam ab eo qui confitetur, juramentum, vel votum, vel alia obligatio, quod abstineat à mortali, sed sufficit, quod habeat bonum propositum, & bonam voluntatem abstinendi ab omni peccato mortali, & specialiter à luxuria; & quod remittat odium, si quod habet contra aliquem; & quod velit satisfacere pro posse de injuriis, si quas fecit; & quod pœniteat de omni peccato mortali, quod fecit, ad minus in generali. Si autem dicit se nolle vel non posse abstinere ab aliquo mortali, non est injungenda Pœnitentia, sed significandum est ei, quod si decederet in tali statu, damnaretur. Verùm dandum est ei aliquod consilium, quod faciat, ut Deus illustret cor suum ad Pœnitentiam, & dicendum est ei, ne in tali statu communicet.

Notandum, uti non dicitur neganda, vel differenda absolutio relapso; vel habenti pravam consuetudinem peccandi, vel non habenti actum contritionis, sed solius attritionis;

nis; vel ei qui antea non fleverit diù; diuque post conversionem à peccato non abstinuerit; vel non facienti prius Pœnitentiam injunctam, sed *ei qui dicit, se nolle vel non posse abstinere ab aliquo mortali*, ut est is, qui vult perseverare in proximâ occasione peccandi, aliique hujusmodi. Alius casus præter hunc non exprimitur, in quo non debeat absolutio impertiri.

Inde post aliqua. *Circa injunctiones Pœnitentiarum similiter oportet esse cautum, ut parvas injungat: melius est enim homines ponere in Purgatorio, quàm in Inferno. Habet enim Deus ubi purget filios suos, si non purgentur hìc. Dicat etiam, quando numerum orationum injungit, quòd si aliquando non dixerit, non ei ad culpam imputetur, ad minus mortalem* (nota sollicitudinem non imponendi onus grave) *Caveat etiam ne multitudinem Missarum injungat Pœnitentibus, ne fiat eis occasio committendi Simoniam. Caveat iterum, ne injungat Pœnitentiam, unde sequatur scandalum, sicut accidit quando Adolescentulis, quæ viros habent, qui habent eas suspectas, injungitur talis Pœnitentia, unde confirmatur in suâ malâ suspicione, ut est jejunare in pane & aqua, & hujusmodi*. Nota 9

ta

ta curam avertendi omne periculum à Pœnitente.

10 Postquam verò monuit, non esse absolvendos, qui pravo aliquo munere funguntur, vel occasionem peccandi lethaliter nolunt abjicere, subdit. *Item ad officium Confessoris pertinet, omnes confiteri volentes benignè, & affabiliter recipere, & præcipue illos qui rarò confiteri consueverunt. Si autem aliquando magnæ Personæ confiteri voluerint, de quibus credat quòd erubescant in communi auditorio confessionum videri, debet eos ducere ad alium locum, magis secretum & honestum* (Nota curam reddendi facilem confessionem) *Omnes autem, qui nesciunt modum standi in Confessione, debet eos instruere, ut stent flexis genibus, inclinato capite, ad dexteram vel ad sinistram Sacerdotis. Antequam verò incipiat Confiteri, potest illis, qui non sunt assueti Confiteri frequenter, aliqua verba dicere de pertinentibus ad Confessionem, vel quærere de Patriâ suâ, vel hujusmodi; ut Confitens interim sumat audaciam ad Confitendum, dum aliquantulum in hujusmodi detinetur: deinde potest ei dicere, ut incipiat dicere quod sibi placuerit, quod si perceperit eum ita respondere, quod nesciat confiteri, debet ei aliquam circa hæc*

haec instructionem facere. Quod si nec sic sciverit confiteri, potest procedere ad inquisitionem juxta modum prædictum (prius enim docuerat, quomodo sit interrogationibus juvandus Pœnitens, ut se bene discutiat) *Cavendum est autem Confessori, ne unquam Confitens scandalizatus recedat, sed placet eum sicut poterit, si fortè non potest eum absolvere, vel aliâ de causâ in aliquo ipsum perceperit perturbari:*

Redit postea ad praxim injungendi Pœnitentiam. *In Pœnitentia verò injungenda, debet* 11 *reminisci, quod præter ea, quæ injungit, specialiter imponat ei etiam omnia bona quæ fecerit, in remissionem omnium peccatorum; & det ei potestatem cuicunque confiteri poterit, quod laxare poterit de Pœnitentia sibi injuncta ab eo, si fortè viderit expedire.* Vult dari Pœnitenti facultatem obtinendi à quocunque alio Confessore imminutionem seu relaxationem aliquam Pœnitentiæ sibi injunctæ, absque eo quod teneatur confessionem iterare. Quæ, rogo, nunc suavior regula proponi Confessoribus sapienter quæat?

Eodem fere tempore, quo dirigendis sui 12 Ordinis Confessoribus scribebat Humbertus, alteram hac eadem super re Instructionem scri-

ſcripſit S. Bonaventura nec ipſe rigidè ,quamvis minus benignè , eo quòd non Religioſos tantùm in ea,ut fecerat Humbertus, ſed etiam ſeculares Confeſſores inſtruit, imo hos præſertim , eoſque nimium deſides , & ſocordes , ut patet ex prædictæ Inſtitutionis , quam Confeſſionale vocavit , exordio . In capitula eam dividit , hæc avum ſubdividit in particulas , quarum doctrinam breviter proponam .

In primi capitis particula 1.Confeſſorem
13 monet , ut ſedeat in loco manifeſto , & omni ſuſpicione carente . In ſecunda , ut Confeſſiones cautè , & cum timore audiat . In tertia , ne in faciem Pœnitentis aſpiciat . In quarta ut pœnitentium peccata non abhorreat, *quantumcunque enormia turpia, magna, inaudita , vel inuſitata ſint* . In quinta , vt *pio , & ſuavi alloquio ipſum confitentem ad veram compunctionem, & ad nudam , & expreſſam confeſſionem inducat, non ſtatim ex abrupto* dicens, *dic peccata tua, ſed ſi tempus ſufficit dulciter ei proponens aliqua de Confeſſionis utilitate* . In ſexta, ne ſit acceptor perſonarum *pauperes indebitè exaſperando , & divitibus, & potentibus adulando* . Quid in toto hoc capite rigidum ?

14 In ſecundo cap. agit de modo interrogan-

gandi Pœnitentes præsertim rudes, & capita interrogationum proponit. Circa modum monet, ut interroget Pœnitentem *discretè usitata singillatim perquirendo, inusitata verò per circumstantias generales, & valde remotas, ne inexpertis detur materia, vel occasio perpetrandi quod antea nesciverant*. Capita interrogationum, quæ proponit, sunt vitia capitalia, decalogus, circumstantiæ peccatorum, quinque sensus externi, peccata linguæ, & passiones animi. Tria autem monet. Primum ex Divo Augustino, ut Confessor audito Pœnitente *Sit benevolus paratus erigere, & secum onus portare: habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate personarum, semper eum leniendo, spem promittendo, consolando, & cum opus fuerit etiam increpando*. Ita habet particula 1. Alterum monet partic. ultima sic. *Super omnia autem attendat Confessor, ut confitentem peccato faciat abrenunciare, non tamen jurare propter periculum perjurii, nisi in casibus expressis in jure*, quos enumerat, additque. *Similiter in quolibet horrendo crimine jurabit pœnitens se nunquam simile commissurum* 11. *q.* 2. *de viro. Non tamen id faciendum est de quolibet mortali, nec*

etiam de quolibet enormi, cum periculum timetur perjuri. Igitur tunc absolvebantur, & quidem sine ulla dilatione, ii, qui propter pravos habitus erant in magno periculo relabendi, à quibus proinde vetat exigi juramentum, ne relabendo sint perjuri. Tertium tandem post proposita capita interrogationum sic monet. *Attende tamen, quod non omnia quæ dicta sunt, de quolibet confitente sunt inquirenda, sed variis varias morbis debes dare curas juxta doctrinam Hjeronymi &c.* Quid in his non suaviter prudens?

15 In tertio cap. quod est *de Pœnitentiis injungendis* particula 1. sic habet. *Circa pœnitentias injungendas hoc teneas, quod omnes pœnitentiæ arbitrariæ sunt, & arbitrio pœnitentialis Judicis relinquuntur* (quod probat pluribus textibus juris) *& hanc opinionem approbat consuetudo, quia generaliter hoc servatur. Nec obstat, quod dicit Gregorius de pœnit. dist.* 5. falsas pœnitentias dicimus, quæ secundum auctoritatem Sanctorum Patrum pro qualitatem criminis imponuntur, *quia hoc verum est, nisi ex causa consideratis circumstantiis pœnitentia temperetur. Nec illud Gregorii, quod* prolixior debeat esse pœnitentia, quam fuerit cul-

culpa de Pœnit. disp. 3. *productior*. *Quia hoc intelligendum est de interiori pœnitentia, vel potest intelligi de pœna, quam patimur propter peccatum primi Parentis*. Quæ, rogo, poterat utriusque Canonis allegati benignor interpretatio afferri? Undè patet, quod, cum postea in hac ipsa, & sequentibus particulis recitat veteres Canones pœnitentiales, quibus injungebatur pro quolibet peccato mortali septennis pœnitentia, aliæque speciales pœnitentiæ pro specialibus culpis, monetque eos servandos, nè sibi manifestè contradicere dicatur, debet sic explicari, ut velit Confessorem eos respicere in ingiungendis pœnitentiis, eosque proponere Pœnitenti, ut is intelligat ex illis culpæ gravitatem, & ipsos observet, aut per externam pœnitentiam, aut per internam, aut per tolerantiam eorum malorum, *quæ patimur propter peccatum primi Parentis*. Hinc post allatum illum Canonem de septenni pœnitentia, monet iterum, quod *si occultum est delictum, indistinctè arbitrariè imponuntur, sicut probant concordantiæ signatæ*. Additque.... *Certum est etiam, quod major causa dispensandi in pœnitentia requiritur in publico, quam in occulto*. Docuerat enim pro publico delicto pu-

blicam deberi imponi pœnitentiam, in quo tamen ex cauſa diſpenſari poſſe docet, & ſub-
16 dit. *In utroque crimine ex cauſa minor pœnitentia poteſt imponi conſiderata criminis quantitate, & qualitate, & perſonæ dignitate, conditione, ſeu officio, paupertate, debilitate, conſuetudine, complexione, ſocietate, contritione, loci, Religionis, & temporis qualitate, cauſa, animo, voluntate, & aliis circumſtantiis*, quæ tam multæ ſunt, ut clarè appareat, in re, & executione verè fuiſſe arbitrarias pœnitentias, non quidem tali modo, ut poſſent injungi ſine ullo reſpectu ad culparum gravitatem, & qualitatem, adeoque leviſſimæ pro gravibus, aut etiam graviſſimis culpis, ut aliqui tunc docebant, à quorum ſententia Ordines Regulares tunc exorti receſſere, ut ſupra oſtendimus, ſed ita ut verè non imponerentur canonicæ pœnitentiæ, ſed quas Confeſſor prudens, & reſpiciens culparum qualitatem eaſque circumſtantias favorabiles Pœnitenti, ſtatueret. Quid in toto hoc capite noſtrorum temporum benignitati diſſonum? An illud quod hîc S. Doctor docet teneri Confeſſorem non ignorare *Canones prædictos pœnitentiales*, *ſacrorum librorum lectionarium*, *pſalterium*, *homilias*

milias per anni circulum aliaque hujusmodi. Sed loco veterum canonum pœnitentialium, alios multò plures inde conditos à Pontificibus aut alios sibi casus reservantibus, aut alias pœnas statuentibus, aut novas propositiones damnantibus scire Confessarios debere nunc docemus, & ut hos ipsos canones pœnitentiales sciant, hortamur. Hoc profectò non est onus demere Confessoribus, aut imminuere, sed aut mutare pro conditione temporum, aut augere. Reliqua fere omnia quæ ibi enumerat S. Doctor, continentur in Breviario Romano, quod utique non ignorare tenetur Sacerdos.

Cap. quarto quod est de usu Clavium, partic. 1. recenset sex casus, in quibus pœnitens ex defectu veræ contritionis non potest absolvi. *Primus est, si confitens ex contemptu, & sine rationabili causa pœnitentias secundum auctoritatem Patrum taxatas subire noluerit*. Notetur ly *ex contemptu*, velut irridens confessorem eas proponentem quod certè signum est indispositionis in Pœnitente. *Secundus si officium, de quo vivit non justificaverit, vel si sine peccato exerceri non possit, non dimiserit. Tertius, si odium in corde tenuerit. Quartus, si* 17

ablata non restituerit. Quintus, si in voluntate peccandi remanserit. Sextus, si de peccatis preteritis sufficienter non doluerit, ideſt ſi ita de iis, quæ confitetur doleat, ut non perſiſtat in retractatione præteritorum, aliàs commiſſorum, quorum pœnitentiam, nempe retractationem debere eſſe perpetuam monet ex Auguſtino Inde tres caſus proponit, in quibus confeſſor nequit abſolvere ex defectu poteſtatis. Primus eſt ſi Pœnitens habeat peccata ſuperiori reſervata. Secundus ſi habeat excommunicationem, qua nequeat à quovis abſolvi. Tertius, ſi non ſit ſubditus.

18 In 2. particula docet primam & præcipuam penitentiam injungendam Raptoribus, Uſurariis, Incendiariis, Furibus, Simoniacis doloſis circumventoribus, ut ſunt *perverſi Judices*, *Advocati iniqui*, *Teſtes falſi*, *Negotiatores fraudolenti*, eam eſſe, ut reddant, quod debent, id ſi facere noluerint, nullam aliam eis injungendam Pœnitentiam, ſed dimittendos, uti etiam illos qui, *quodcunque peccatum mortale dimittere nolunt*, eoſque, *quibus injungenda eſt à majori*, nempe ab Epiſcopo ſolemnis Pœnitentia, quam hic deſcribit ex Concilio Agathenſi, quam videlicet incipiebant

bant publicè initio Quadragesimæ qui *culpam aliquam enormem, quæ totam commovisset Urbem* (ut idem S. Doctor docet in lib. 4. sent. dist. 14. par. 2. dub. 9.) perpetrasset, cui similis nunc iniungitur, ut alibi monuimus, pro delictis ad Fidem, & Religionem pertinentibus.

In 3. demum partic. proponit *quatuor regulas observandas in Pœnitentiis iniungendis*. Prima est, ut secundum qualitatem culpæ imponatur Pœnitentia, nempe occulta pro occultis, manifesta pro manifestis, si videlicet, ut supra docuit, non adsit ratio dispensandi. Secunda Regula est, ut secundum quantitatem peccati major, vel minor Pœnitentia iniungatur consideratis tamen circumstantiis supra recensitis. Benè autem hæc monita Regulas vocat, cum ad aliqua præstanda, quæ hic monet, nec Confessor teneatur, nec Pœnitens, ut est, quod Confessor (ut dicit in tertia Regula) moneat Pœnitentem, ut semper doleat de peccatis commissis, & quod (ut dicit in quarta) Confessor non solum moneat Pœnitentem ne peccet amplius, sed ne voluntatem peccandi concipiat, quod, exceptis valde rudibus, faciendum omninò esse no- 19

runt omnes, quare plerique utiliter quidem id monebuntur, non verò necessariò. Tandem monet acriùs, ne in ullo unquam casu absolvantur qui non habent propositum non peccandi amplius; idque solum vehementer inculcat, invehiturque in eos Confessores qui dant licentiam accedendi ad Communionem *permanentibus in voluntate peccandi*, concluditque, *Unde in nullo casu sanis*, *nec infirmis*, *nec Sacerdotibus*, *nec aliis peccare volentibus debet Sacerdos Corpus Christi licentiare*, idest præbere licentiam communicandi.

In ultimo cap. agit de Irregularitatibus, & dispensationibus, & suum Confessionale consummat,

20 In hac autem tam longa Instructione, quam hìc summatim proposui, nihil prorsus habet de Pœnitentia peragenda ante absolutionem, nihil de differenda absolutione relapsis, aut habentibus pravos habitus, nihil de probanda per longos fletus, & prævios labores dispositione Pœnitentis, nihil de necessitate detestandi peccata ex motivo charitatis, nihil de restituenda veteri disciplina in reliquis ad Pœnitentiam pertinentibus, quamvis esset, ut à vobis creditur, paulo ante sublata,

nihil

nihil demum nisi de iis, quæ modo docemus omnes, omnes prædicamus. Non igitur alia ratione, quam modò fiat, administrabatur eo tempore Sacramentum Pœnitentiæ, nec forte fuit antea alio modo administratum, cum utrique hi sapientissimi scriptores Humbertus, & Bonaventura sic instruant Confessorem, ut manifestè appareat, nihil novum eos tradere, sed antiquam proponere Ecclesiæ disciplinam, quamque à suis sanctissimis Institutoribus Dominico, & Francisco Pœnitentiæ ceteroqui Prædicatoribus, instaurandæque Ecclesiasticæ disciplinæ cupidissimis, hauserant.

Et quidem Sanctissimum Fundatorem 21
Dominicum voluisse suos Alumnos ad benignitatem in suis Constitutionibus componere, & informare, disp. 11. ex earum Glossatore Vincentio de Castro novo demonstrabo, nunc idem spectasse D. Franciscum, & suavissima commiseratione imbutos voluisse Confessores sui Ordinis ex ejus regula, ejusque præcipuo, post S. Bonaventuram, Interprete Ugone, ostendam. Igitur D. Franciscus cap. 7. suæ Regulæ præcipiens Fratribus suis, ut in quibusdam majoribus delictis

re-

recurrant, ut absolvantur, *ad solos Ministros Provinciales*, hos monet, *ne irascantur, & ut cum misericordia Pœnitentias imponant*, quæ verba exponens prædictus Ugo hæc habet. *Debet, ut Canon loquitur, justitiam temperare moderatio. Si erramus modicam Pœnitentiam imponentes, nonne melius est propter Misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? Non dicit Regula, Pœnitentiam esse omittendam, sed cum Misericordia imponendam, quia infundendum est vinum, & oleum vulneribus sauciati &c. sanè licet absque Misericordia superexaltet judicium, maximè tamen cum ad Pœnitentiæ mundiciam recurrunt, benignissimè recipiendi, & omni genere confovendi sunt. Qui ovem perditam, & filium prodigum, & naufragum piè, ut ipse curari vellet, non curat, nec Pastor, nec Pater est, sed quasi adversus confitentem, seu professionem ipsius Ordinis zelo aliquid ageret, Christum prodere est, Christum persequi. Hinc enim Professio redditur odiosa. Hinc Cœlum volentibus ingredi clauditur, & emptæ Christi Sanguine animæ crudeliter necantur. Verè, ut dictum est, viscera impiorum crudelia, quia Pœnitentibus non compati, sed indignari noverunt, atque per austeritatem quan-*

dam

dam Peccatores detestantes justi cum Pharisæis apparere volunt. Insolentibus, non Pœnitentibus debetur severitas.

Si Fratres suos Votorum suorum violatores tam misericorditer excipi, tanta cum benignitate tractari voluit Franciscus, eadem certè benignitate, aut etiam majori imbutos voluit Confessores sui Ordinis, cùm secularium Confessiones excipiunt.

Habes jam qui fuerint hujus Ordinis, 22 (quod etiam de altero Prædicatorum ex prædicta Humberti Instructione, & Vincentii prędicti declaratione alibi afferenda dicendum est) Canones Pœnitentiales, eo ipso seculo, quo exorti sunt, quo vitam tam asperam professi sunt, quo tanta sanctitatis, ac doctrinæ laude floruerunt, non alios videlicet qua hos, aut hos præ reliquis, 1. *Pœnitentiam Confessor cum Misericordia imponat.* 2. *Debet justitiam temperare moderatio.* 3. *Melius est propter Misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem.* 4. *Pœnitentes benignissimè recipiendi sunt, & omni genere confovendi.* 5. *Ovem perditam, & filium prodigum ita curare debet Confessor, ut ipse curari vellet.* 6. *Qui secùs facit, Christum prodit, Christum*

per-

persequitur, Professionem reddit odiosam, Cœlum volentibus ingredi claudit, emptos Christi Sanguine animos crudeliter necat. 7. Insolentibus non Pœnitentibus debetur securitas.

23 Ad horum Canonum normam uterque Ordo ex suorum Fundatorum institutione Sacramentum Pœnitentiæ administravit, quod expendens jam desino mirari, quod uterque is Ordo statim post exortum se per totum Orbem diffuderit, tot animarum millia à culpis abstraxerit, tot Urbes ad veram Religionem revocarit, tot Ecclesias, & Monasteria tanquam Arces Religionis, & Pietatis erexerit. Non aceto vestri Rigoris montes perfregit, sed oleo nostræ benignitatis, non armis terribilibus vestrorum Canonum quos nulla unquam ętas condidit, aut servavit, sed sonitu clangentium Sacerdotum, nempe Confessorum suaviter increpantium, Urbes fortissimas contumacium animorum expugnavit. Prædicta benignitate aditum in corda hominum obtinuit, benignitate ea mollivit, benignitate ad virtutem inflammavit, nec aliâ ab ea, quâ modo Sacramentum Pœnitentiæ à nobis administratur, ut facile colliges si prædictas Humberti, Bona-

naventuræ, & Ugonis Institutiones cum iis conferes quę nostri pręcipui Doctores docent, & Confessores eorum ductum sequentes faciunt. 24

D. R. Fateor prædictas Institutiones severiores non esse ea praxi, quam vestrum plerique custodiunt. Adhuc tamen timendum videtur, ne hæc ipsa vestra praxis benignior in dies evadat, donec penitus clangueat, tum vitio eorum qui modò Theologiæ speculativæ dant operam, tum culpa eorum qui moralem Theologiam profitentur; eorum quidem quod neglectâ solidâ doctrinâ, inutilibus quæstionibus tempus terunt; horum verò, quod ex genio, ingenioque suo potius, quam ex Patrum sententiis propositis sibi quæstionibus respondent.

D. D. Hoc ipsum calumniosè dicitur contra nostros Theologos speculaivos, Moralesque, ut futura disputatione demonstrabo.





CALUMNIA V.

Recentiores Theologi Scholastici, Moralesque, dum inutilibus quæstionibus tempus terunt, & ex genio, ingenioque suo magis, quam ex doctrina Patrum, respondent, scribuntque, magnum Theologiæ morali, ac foro Pœnitentiæ damnum inferunt, aut facilè inferent.

DISPUTATIO V.

Doct. Discr. Ecitavine bonâ fide, quam protulisti in fine præcedentis Disputationis sententiam?

Doct. Rig. Utique.

1 *D. D.* Ego verò an tu bonâ fide sic sen-

tias,

tias, ignoro, nisi bona sit fides Hæreticorum. Utrosque enim nostros Theologos Scholasticos & Morales odere semper Hæretici, nempe hostes suos, & vere Religionis assertores. Wiclephus, ut refertur in Synodo Constantiensi sess. 8. dicebat, *Universitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magisteria, esse vanâ Gentilitate introducta; tantumque Ecclesiæ prodesse, sicut Diabolus*. Lutherus autem (ut narrat Ulenbergius in ejus vitâ ad ann. 1512.) *asserebat sinceram Evangelii doctrinam in Ecclesia prorsus obscuratam Philosophiæ quadam eluvione, idque Theologorum Scholasticorum turbâ*. Et in lib. resolut. contr. Concl. Ecian. Concl. 2. *Ego scio & confiteor, me aliud non didicisse*, (nempe cùm Theologiæ studerem) *quam ignorantiam Peccati, Justitiæ, Baptismi, & totius Christianæ vitæ. Nec quid virtus Dei, Gratia Dei, Justitia Dei, Fides, spes, Charitas sit; breviter, non solum nihil didici, quod ferendum erat, sed non nihil dediscenda didici. Miror autem, si alii feliciùs didicerint. Christum amiseram illic, nunc in Paulo reperi*. Calvinus in dedic. suæ Institut. de Theologis disserens queritur, quod *nihil aliud in vita moliantur, quàm infinitis contentionibus, & plus-*

quam



CALUMNIA V.

Recentiores Theologi Scholastici, Moralesque, dum inutilibus quæstionibus tempus terunt, & ex genio, ingenioque suo magis, quam ex doctrina Patrum, respondent, scribuntque, magnum Theologiæ morali, ac foro Pœnitentiæ damnum inferunt, aut facilè inferent.

DISPUTATIO V.

Doct. Discr.  Ecitavine bonâ fide, quam protulisti in fine præcedentis Disputationis sententiam?

Doct. Rig. Utique.

I *D. D.* Ego verò an tu bonâ fide sic sentias,

tias, ignoro, nisi bona fit fides Hæreticorum. Utrosque enim nostros Theologos Scholasticos & Morales odere semper Hæretici, nempe hostes suos, & vere Religionis assertores. Wiclephus, ut refertur in Synodo Constantiensi sess. 8. dicebat, *Universitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magisteria, esse vanâ Gentilitate introducta; tantumque Ecclesiæ prodesse, sicut Diabolus*. Lutherus autem (ut narrat Ulenbergius in ejus vitâ ad ann. 1512.) *asserebat sinceram Evangelii doctrinam in Ecclesia prorsus obscuratam Philosophiæ quadam eluvione, idque Theologorum Scholasticorum turbâ*. Et in lib. resolut. contr. Concl. Ecian. Concl. 2. *Ego scio & confiteor, me aliud non didicisse*, (nempe cùm Theologiæ studerem) *quam ignorantiam Peccati, Justitiæ, Baptismi, & totius Christianæ vitæ. Nec quid virtus Dei, Gratia Dei, Justitia Dei, Fides, spes, Charitas sit; breviter, non solum nihil didici, quod ferendum erat, sed non nihil dediscenda didici. Miror autem, si alii feliciùs didicerint. Christum amiseram illic, nunc in Paulo reperi*. Calvinus in dedic. suæ Institut. de Theologis disserens queritur, quod *nihil aliud in vita moliantur, quàm infinitis contentionibus, & plus-*

quam

quam sophisticis jurgiis, Scripturæ simplicitatem involuere & impedire. Theodorus Beza in suis comment. in epist. 1. ad Tim. cap. 6. vocat Theologos *viva inanissimæ vanitatis exemplaria .... solos Doctores & Magistros, ut vocant; nempe ut ipsis etiam nominibus, Pharisæos referant*. De Theologis verò Moralibus, Thomas Didimus Lutheri laudator apud Melancthonem, aut potius ipse Melancthon, *Onerata est* (inquit) *Respublica Christiana Theologastrorum sententiis, de Conscientiæ casibus inextricabilibus, ubi nunquam non ex quæstione quæstio nascitur. Fidem faciunt, vel Bibliopolia, ubi tantum summarum* (*sic enim vocant*) *tantum Commentariorum in quartum sententiarum est reperire, ut eorum nomenclaturam nemo facere possit. Atque hæc sunt illa Conscientiarum cauteria, quæ jam olim prudenter caveri jussit Apostolus. Neque enim ullâ ratione certius Christum dediscas, quàm illo ipso doctrinæ genere, quo solo, ajunt Theologastri, formari posse Conscientias*. Hæc sunt Hæreticorum in utramque nostram Theologiam maledicta, quibus vestra consonare videntur.

D. R. Nempe auribus vestris, quibus quid-

quidquid vestris opinionibus dissonat, statim Hæreticorum erroribus consonat. Quænam est inter hæc duo concordia? illi despiciunt omnes Theologos Scholasticos Moralesque, omnes vocant Theologastros, Sophistas, Pharisæos &c. nos non ita, sed aliquos tantum, eosque ipsos non ita procaciter lacessimus.

D. D. Ita profecto, non ita procaces 2
estis, dicaces tamen, eosdemque, quos illi, Theologos odistis. Quos enim alios despiciunt Hæretici, & maledictis incessunt, nisi Cajetanum, Sylvestrum, Sotum, Lessium, Molinam, Suarium, aut his similes. Hos ipsos despicitis vos, & nominibus paulo minùs injuriosis insignitis, nempe illos, quos optimam Theologiæ rationem fuisse professos ex eo constat, quòd eandem hi sine dubio Theologiam, in suis, quos reliquere, libris profitentur, eademque viâ & ratione eam tradunt, quâ tradebatur communiter in Scholis tempore Sixti V. qui tamen summis eam laudibus effert suâ Constitutione 76. quâ Divi Bonaventuræ Doctrinam commendat, eaque recenset, quibus movebatur ad eam edendam constitutionem. *Denique movet nos* (inquit) *Ecclesiæ Universalis utilitas, quæ ex*

H tanti

tanti Doctoris eruditione, semper major & uberior capi potest: præsertim cum Hæreticorum insidiæ, & Diabolicæ machinationes, quibus sacra Theologia, quæ Scholastica appellatur, hoc luctuoso sæculo oppugnatur vehementissime, nos magnopere admoneant, ut eamdem Theologiam, qua nihil Ecclesiæ Dei fructuosius, omni studio retineamus, illustremus, & propagemus. Divino enim illius munere, qui solus dat spiritum scientiæ, & sapientiæ, & Intellectus, quique Ecclesiam suam per sæculorum ætates, prout opus est, novis beneficiis auget, novis præsidiis instruit, inventa est à Majoribus nostris sapientissimis viris Theologia Scholastica, quam duo potissimum Gloriosi Doctores, Angelicus S. Thomas, & Seraphicus S. Bonaventura, clarissimi hujus facultatis professores, & primi inter eos qui in Sanctorum numerum relati sunt, excellenti ingenio, assiduo studio, magnis laboribus & vigiliis excoluerunt atque ornarunt, eamque optime dispositam, multisque modis præclare explicatam, posteris tradiderunt. Et hujus quidem tam salutaris scientiæ cognitio & exercitatio, quæ ab uberrimis divinarum Literarum, summorum Pontificum, Sanctorum Patrum & Conciliorum fontibus dimanat, semper certè maxi-

maximum Ecclesiæ adjumentum afferre potuit, sive ad Scripturas verè, & sanè intelligendas & interpetrandas; sive ad Patres, securiùs & utiliùs perlegendos & explicandos; sive ad varios errores & hæreses detegendas & refellendas. His verò novissimis diebus, quibus jam advenerunt tempora illa periculosa, ab Apostolo descripta, & homines blasphemi, superbi, seductores, proficiunt in pejus, errantes, & alios in errorem mittentes; sanè Catholicæ Fidei Dogmatibus confirmandis, & hæresibus confutandis, pernecessaria est. Et profectò, rem ita se habere, ipsimet veritatis inimici sunt Judices; quibus Theologia Scholastica maxime est formidolosa, qui profectò intelligunt, aptâ illâ & inter se nexâ rerum, & causarum cohærentiâ, illo ordine & dispositione, tanquam militum in pugnando instructione, illis dilucidis definitionibus & distinctionibus, illa argamentorum firmitate, & acutissimis disputationibus, lucem à tenebris, verum à falso distingui, eorumque mendacia, multis præstigiis & fallaciis involuta, tanquam veste detractâ patefieri, ac denudari. Quantò igitur magis illi hanc munitissimam Scholasticæ Theologiæ arcem oppugnare & evertere conantur, tanto magis nos decet hoc invi-

invictum Fidei propugnaculum defendere, & hæreditatem Patrum nostrorum conservare & tueri, & acerrimos veritatis Defensores, meritis honoribus, quantum, possumus, decorare.

Nihil profectò veriùs simul, & magnificentiùs dici poterat in laudem scholasticæ Theologiæ, quam vos adeo despicitis, nosque cum prædictis recentioribus Magistris tradimus.

D. R. Divorum Thomæ ac Bonaventuræ Theologiam laudat Sixtus, non eam, quam recentiores prædicti tradunt, & traditis ipsi, contentiosam, inanem, exsuccam.

3 *D. D.* Eam tradimus nos, quam tradidere Doctores prædicti; quam vocas inanem & exsuccam, quia ratione utitur, & subtilibus argumentis hostem aggreditur, quę ille non ita facile, ut vestros textus, eludit. Cæterum, laudat quidem Pontifex ambos illos Doctores, eorumque doctrinam, sed eà occasione excurrit in laudem Theologiæ quæ tunc oppugnabatur, ut ipse dicit, ab Hæreticis, sed Hæretici oppugnabant Theologiam quæ tunc communiter tradebatur, quæ eadem est cum Theologiā prædictorum Recentiorum, ergo eam laudat Sixtus. Sed

hanc

hanc ipsam vos oppugnatis ergo eam oppugnatis quam laudat Sixtus, ut faciebant, & faciunt Hæretici. Et quidem hoc patet ex verbis prædictæ Constitutionis. Nam Sixtus laudat Theologiã Scholasticam, nempe sic dispositam, utentem hac methodo, hac subtilitate, non solis scripturarum, ac Patrum textibus, sed acutissimis rationibus; *dimanantem quidem ab uberrimis Divinarum Litterarum, summorum Pontificum, Sanctorum Patrum, & Conciliorum fontibus* sed constantem *aptã illã, & inter se nexã rerum & causarum cohærentiã, illo ordine & dispositione, illis dilucidis definitionibus, & distinctionibus, illis acutissimis disputationibus*; Sed hæc tota est Theologia prædictorum Recentiorum, quos nominavi, aliorumque illis similium, ergo eam laudat Sixtus, non quidem omnes sententias, quæ in eâ continentur, sed modum speculandi, indagandique veritatem, conficiendi argumenta, eaque solvendi, explicandi demum distinctè, & solidè Fidei doctrinam.

Quod autem pertinet ad Doctores, jure 4
quidem Sixtus laudat eos duos, non solùm præstantissimâ doctrinâ, sed etiam sanctitate illustres, & veluti Theologorum signiferos;

laudandi tamen sunt etiam Recentiores non pauci, qui veterum Doctrinam valde illustrarunt, nec parum amplificarunt; quique ita debent Patribus, primisque Theologiæ Magistris doctrinam suam, ut eam ex parte debeant etiam sibi, nosque debeamus utrisque Doctrinam nostram. De primis enim hujus facultatis Institutoribus, dici non abs re potest, quod Seneca lib.6. nat. quæst. cap.5. de primis scientiæ naturalis Doctoribus scribit, eorum videlicet sententias saltem aliquas *rudes esse, & parum exactas. Siquidem nova omnia erant primò tentantibus. Post eadem illa limata sunt, & si quid inventum est, illis nihilominus referri debet acceptum. Magni animi res fuit, rerum Naturæ latebras dimovere, nec contentum exteriori ejus conspectu, introspicere & in Deorum secreta descendere. Plurimum ad inveniendum contulit, qui speravit posse reperiri. Cum excusatione itaque veteres audiendi sunt. Nulla res consummata est dum incipit; nec in hac tantum re, omnium maxima atque involutissimâ, in qua etiam cum multum actum erit, omnis tamen ætas, quod agat inveniet; sed in omni alio negotio longè semper à perfecto fuere principia.*

Ut

Ut igitur iis quæ S.Dionysius Theologorum post Apostolos Princeps, nos edocuit, multum doctrinæ & luminis addidit S.Augustinus; additis à S. Augustino, non parum vel doctrinæ vel luminis superaddidere D.Anselmus, Divus Thomas, D.Bonaventura, ita traditis ab his addere aliquid potuere Recentiores: Nec potuere solum, sed absque dubio addidere, cum plura post illos fuerint celebrata Concilia, aliquot Patrum, quæ olim latuerant, scripta reperta, alia demum fuerint longo studio, præsertim linguarum, Antiquitatis eruta monumenta. Non igitur prædicti Doctores, quia recentiores sunt, sunt illico contemnendi. Quin hoc ipsum, ex pluribus capitibus, non exiguam ipsis authoritatem conciliat, eorumque lectionem nobis commendat. 5

D. R. Id insipienter dictum videtur. Quis enim audivit unquam, Scriptori ex hoc ipso accedere authoritatem, quòd antiquus non sit?

D. D. Non sic absolutè quidem, sed ex aliquo, eoque multiplici capite. Recensebo. Sed nolim de iis quæ dicturus sum, judices, antequam sermonem absolvam,

alioquin mihi millies irascèris, ac temerarium me, & injuriosum Patribus appellabis. Consiste paulisper. nec ego ista dicerem quæ dicturus sum, nisi infelicia isthæc tempora fluerent; nisi Novatores nimis abuterentur Patrum authoritate, nimisque contemnerent Doctissimos Recentiores, quorum videlicet argumentis, ac doctrinâ revincuntur; nisi demum eò ventum esset, ut aliqui publicè doceant hanc Propositionem, *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolutè potest tenere & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam*, quam propositionem licet omninò damnabilem, damnatamque ab exedrâ veritatis, adhuc veram habetis.

6 *D. R.* A suspiciosis, vel etiam malignis ista dicuntur.

D. D. Imò à sapientibus, & potius ad facta, quam ad verba respicientibus. Crede mihi, opere, sin minus ore eam docetis, dum si quid ab Augustino traditum videtur, quamvis nec *clarè in eo fundatum*, id omninò creditis & docetis, quidquid Roma obstrepat, edicat & minetur. Sèd hæc obiter, ut causam scias, cur Recentiores tam sæpe laudem, dicam-

eamque, non quidem præferendos eos esse veteribus, id enim nunquam dicam, sed eorum scripta boni aliquid continere, quo vetera carent. Sic boni aliquid & utilitatis continet equus, quo caret homo, unde aliquando utilior est ille, non inde tamen est homine præstantior. Enumero jam Recentiorum utilitates.

Et primò. Ex eo quòd Doctor ad hæc ultima sæcula pertinet, fit, certò à nobis sciri quæ sint ejus scripta, adeoque Cajetani esse textus qui Cajetano tribuuntur, Soti qui tribuuntur Soto, utpote repertos in exemplaribus ipsis, quæ primùm, & Auctore ipso superstite prodiere, quam sanè certitudinem, de Veterum scriptis non habemus, cùm innumera, quæ non sunt illorum, sub eorum nomine circumferantur, innumera alia dubia sint, ut legenti Cardin. Bellarminum *de scriptoribus Ecclesiasticis* constabit. Cùmque ea ipsa quæ certò S. Doctoris sunt, fuerint non semel, aut Hæreticorum astu, aut culpâ exscribentium, per quorum tot manus transiere, cùm Typographiæ usus non erat, fuerint inquam non semel, verborum vel detractione vel additione, vel permutatione, vel 7
aliâ

aliâ collocatione corrupta, vt patet ex tam diversis ejusdem Auctoris exemplaribus, unde fit tam sæpe sic legi in fronte veterum Librorum *Tractatus de &c. ab innumeris mendis, quæ irrepserant, expurgatus*, expurgatione tamen non nihil incerta, cùm (una exceptâ Romanâ Sede, ipsaque Ecclesiâ universâ, infallibili errorum expurgatrice) non rarò qui vult expurgare, mutet in pejus, aut quod purum erat, corrumpat.

8 Fit secundò, horum scripta, clariora esse nec indigere notis & commentarijs, quibus tam sæpe indigent antiqua, non vitio scriptoris, sed transcribentium, ut dicebam, aut aliorum, qui verba, vel truncarunt vel permutarunt. Cum verò Interpretum notæ non sint indubia signa genvinæ sententiæ Auctoris, fit, ut incerti subinde simus in textibus quæ afferuntur, de mente Doctoris; cum è contra, nihil incerti simus de mente Recentiorum, quorum proinde loca, non rarò præferimus locis antiquorum in contrarium productis; non quia Recentiores præferamus Antiquis, sed quia textum clarum præferimus textui obscuro.

9 Fit tertiò, horum lectionem esse subinde

de tutiorem, utpote eorum qui scripsere cum timore censuræ, & post longam censuram suorum librorum, & alienorum, post innumeras hæreses damnatas, ac proinde alienis erroribus, aut castigatione edocti scribere castigatè. Hinc præsertim Juniores, nec Theologicâ facultate altùm instructi adhortandi sunt, ut potius recentiorum aliquem insignem quique jam toto sæculo famam obtinet sanæ doctrinæ, legat, quam veteres, quorum scripta ex quadam erga ipsos reverentiâ non emendantur, quamvis ambigua multa & periculosa, imò falsa contineant, aliena videlicet & supposita. Ex. gr. Commentaria D. Hieronymi in omnes Epistolas Pauli continent sententias manifestè Pelagianas. Liber D. Ambrosii ad Virginem lapsam continet errorem Novatianum. Liber quæstionum D. Augustini in vetus & novum Testamentum continet multa quæ Fidei adversantur. Et idcircò Card. Bellarminus *de scriptoribus Ecclesiasticis*, negat primum opus esse Hieronymi, secundum Ambrosij, tertium Augustini, quod tamen ignorans aut non æstimans Lector Junior, nec in doctrinâ Fidei satis versatus, vel eorum de numero, qui pluris

ris faciunt; quæcunque reperiunt in Veterum tomis, quam Pontificum Bullas, jam incipit in Fide labascere, vel non ita bene sentire.

10 Fit quartò, horum libros continere eruditionem longè majorem, uberiorem doctrinam, nostrisque usibus magis accommodatam. Et primò continent eam totam quam veteres continent, & rursus eam, quam addiderunt innumeri, qui post antiquos Doctores, per decem & amplius secula scripserunt; ac tandem eam, quam ipsi improbo labore compararunt. Hinc eas hæreses convellunt, quæ, cùm Veteres scripsere, nec erant exortæ, nec orituræ unquam credebantur; eos Canones Pontificum, & Conciliorum afferunt, qui nec erant conditi; eas interpretationes proferunt, quæ non extabant. Et rursus innumeris quæstionibus respondent quas ne tetigere quidem Doctores antiqui, easque nostro hoc tempore pernecessarias; nec respondent solum, sed eâ methodo, quæ tam necessaria est ad bene intelligendum, retinendumque quod est intellectum, eâ subtilitate, sine quâ quod falsum est quia verisimile, tam sæpe verum judicatur, & er-

ror

ror pro certâ ſententiâ propugnatur, aut non recte impugnatur, eâ demum argumentorum firmitate, quâ Novatorum errores non inſectantur modò, ſed profligant. Hinc ille hæreticorum omnium noſtri temporis in prædictos Recentiores odium, Satyræ, invectivæ; quia videlicet horum textus, utpote clariſſimos, eludere non poſſunt; horum authoritate,ad ſuos confirmandos errores abuti non poſſunt; horum ſubtilitate deteguntur, horum acumine feriuntur, horum in omni genere doctrinarum copiâ obruuntur.

D. R. Igitur in poſterum Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Patreſque omnes, blattis relinquemus, ſolumpue Suarium, vel ejus de ſcholâ aliquem, diù noctuque verſabimus? Video enim hùc ſpectare tam inſigne Recentiorum preconium Ego verò Recentiores, & præſertim Suarium nunquam legere conſtitui.

D. D. Quid ego ſpectem, præmonui. 11
Sed quia, ut video, non intellexiſti, vel non attendiſti, monebo iterum. Id eâ laude ſpecto, ne veteris Doctoris textum pluris faciatis quam Pontificum Bullas. Cogor autem id ſæpe ingerere,ut ſemel intelligatis. Secundò,

dò,

dò, ne veterum scripta omnibus legenda tradantur, ut non omnibus Sacræ Scrrpturæ libri traduntur, quibus nihil Sanctius. 3. Ne Recentiores omnes despiciantur. Id specto, non verò, ut Sancti Ecclesiæ Doctores à nostris manibus ablegentur: quis enim ita desipiat, ut mille Suariis non præferat Augustinum, sed verum Augustinum, & bene intellectum.

Quod autem spectat ad Suarium, quoniam eum legere recusas, jam non mereris legere. Illud rogo tantum, ut tibi persuadeas, inter Recentiores quoque, viros doctissimos reperiri.

12 *D. R.* Nec is ego sum, qui negem, aliquem ex Recentioribus esse valde doctum, & eruditum. Illud unicè contendi, plerosque, si speculativi sint, inutilibus disputationibus tempus terere, si Morales sint, continere doctrinam parum tutam laxioremque; utrosque eam fovere administrandi Sacramenti rationem, quæ est nimium Benigna, aut quæ facilè est evasura nimis benigna.

D. D. Sed contra est primò, nam si Recentior aliquis Doctor, hanc obtinet ingentis eruditionis, ac Doctrinæ famam, cur illæ perpe-

petuæ in Recentiores Invectivæ; perinde sint omnes ejusdem farinæ? Cur in iis quas cuditis in dies, aut dissertationibus, aut tractatibus, aut summis, aut Theologiis, nullius Recentioris Suffragio conclusionem statuitis, aut confirmatis, sed solos Patres affertis, etiam cum ea quæstio tractatur, de quâ nihil Patres, aut nihil certum, & clarum?

Contrà est Secundò, nam falsum est, 13
plerosque, & fere omnes Recentiores, continere doctrinam parum tutam. Multos hi eosque uberes edidere tractatus, innumeras in iis conclusiones habent, sanas, certas, communes. Paucæ aliquot Propositiones aliquibus exciderunt non satis tutæ, laxiores etiam. Cur ex harum paucarum laxitate, statim erunt appellandi, Patrum desertores, deceptores, laxones; nec erunt ex innumeris aliis, veris certisque propositionibus, ex vastâ eruditione, quam continent, ex methodo, optimâque docendi ratione quâ utuntur, celebrandi? Annon æquius esset, totius libri judicio Romanis Censoribus relicto, paucas illas propositiones impetere, oppugnare falsas ostendere, illesa interim reliquâ doctrinâ, ut putrescentem digiti summum verticem

cem Chirurgus ferro aggreditur, præciditque; reliquo corpore nihil violato? Et quid si ostenderem, aliquos antiquos Scriptores lapsos esse aliquandò? num illico erunt omnes abjiciendi? Putavit Augustinus, sibi aliqua excidisse non satis vera, eaque retractavit. Et quid si non retractasset? num fuisset illico contemnendus, & de omnium manibus excutiendus?

14 Contra est tertiò, nam falsum est inutilibus quæstionibus tempus à Recentioribus teri. Inutiles quidem videntur illæ, præsertim huic generi doctrinæ non assuetis, eò quod non continent Fidei doctrinam, quam sibi Theologus explicandam proponit; vel quia non videntur facere ad materiam in Titulo propositam, vel quia subtilia nimis sunt, quæ à plerisque non intelliguntur: sed inutilia non sunt; alioquin inutiliter disputare per sæpè dicetur D. Thomas in ipsâ suæ Theologiæ summâ, in quâ propter Operis angustias, erant sola utiliora potiori jure tractanda ex.gr. inutiliter terere tempus dicetur, cùm docturus, Deum esse summum bonum quærit. 1. *Utrum Bonum, & Ens sit idem secundum rem.* 2. *Supposito, quod differat ratione tantùm, quid*

quid sit prius Secundum rationem, Bonum vel Ens. 3. Utrùm supposito quod Ens sit prius, omne Ens sit Bonum. 4. Ad quam causam ratio Boni reducatur. Nimis subtilia videntur hæc, nimis dissecta, nec facere ad statuendum, quod Deus summum bonum est. Nec tamen audebit aliquis Sanctum Doctorem inutilis, & otiosæ disputationis incusare. Hujusmodi enim quæstiones, quamvis Junioribus secus videatur, valde conferunt ad rei de quâ agimus, naturam, causas, & effectus melius intelligendos. Ex rursus, subtilitate suâ, quâ sunt à sensibus magis remota, acuunt mirabiliter intellectum, eumque à phantasticæ facultatis laqueis vix non exsolvunt; unde ea in intelligendo velocitas, in disputando subtilitas, in dignoscendis, & refellendis erroribus facilitas, qui sunt præcipui Theologiæ speculativæ fructus, & vera ratio, propter quam ea Novatoribus, aut Novatorum fautoribus, vel asseclis, fuit semper & erit invisa.

Sed inutiles sint multæ recentis Theolo- 15
giæ quæstiones. An tantum malum hoc est, quod tanta reprehensione dignum sit? an non longè minus hoc est, quàm illud, in quod

Rigidi Censores incurrunt alterius cujusdam Theologiæ, vel Auctores, vel Laudatores? In duas quippe classes sacræ Doctrinæ studiosi, hoc nostro seculo dividuntur, ut bene nosti. Aliqui eam adamant, quæ discursiva, rationalis, & speculativa maximè est; nec solis scripturis, & Patribus nititur, sed philosophiæ rationali, cujus lumine juvatur ad ipsam Doctrinam Fidei melius explicandam, vel ea enodanda quæ doctrina Fidei non sunt, sed cum illâ connexa vel ab ea illata. Hanc nos adamamus, quam videlicet adamant traduntque ferè omnes Orbis terrarum Academiæ. Alii verò eam adamant quæ brevior est, & ferè tota ex scripturis, Patribus, Conciliisque consurgit, facilis, & expedita.

Hoc inter utramque discrimen est, quod illa facit seu facere videtur minus eruditos, sed facit longè magis doctos. Per hanc, multa scimus, aut scire videmur, nempe multos textus, multa veterum facta, multos canones, sed minus scimus, verumque textuum, & canonum sensum, aut usum, ignoramus. Illa, cùm ad mores descendit, benignior quidem est, hæc rigidior, sed hæc cum toto suo rigore, Religioni sibi nihil ducit, ab Sacramen-

mentis Fideles abſtrahere, Pontificum Bullas eludere, & Pontificiam ipſam authoritatem deprimere; illa verò cum tota ſua benignitate, ut culpam maximam averſatur Pontificiis definitionibus non illico acquieſcere, & vel in dubium revocare ſummam in docendo Vaticanæ Sedis authoritatem. Eadem aliquas quæſtiones inutiles continere dicitur, ſed quæ ſunt utiles, continet omnes, eaſque verè utiliter, & pro dignitate pertractat, Illa dicitur continere ſolas utiles, ſed illas inutiliter tractat, aut etiam perniciosè, & cum periculo Fidei. Hinc primam illam, ut initio oſtendi, odere Lutherani, Calviniſtæ, aliique Novatores; non ſic odere alteram. nempe veſtram; imò vix aliam tradunt ipſi in ſcholis, & præſertim Janſeniſtæ, Quis, rogo, ſapiens hanc præfarat illi? Optimum forte eſſet, mediam, ex utraque temperatam ſtudioſis tradere, nempe breviorem primà, longiorem ſecundâ, minus rationalem quam prima, magis ſpeculativam, quam ſecunda. At quando ea hominum conditio eſt, ut quod optimum eſt, plerique non faciant; nonne conſultius ſit, primam adamare, quâ ſis Novatoribus terribilis, quàm alteram, quâ

fis Novatoribus non ingratus? Nonne præstet, jacturam aliquam temporis facere, inutilia aliqua, aut minns utilia perdiscendo, quam jacturam fidei facere, aut faciendi periculum subire, doctrinis audacioribus inhærendo?

16 Contra est demum, nã illud quoque falsum est, quod ultimo loco dicebatur, nempe Recentiores Theologos eam fovere administrandi Sacramenti Pœnitentiæ rationem, quæ est nimis benigna, aut quæ tandem (ut humana sunt, quæ semper in pejus vergunt) sit evasura nimis benigna. Ut enim hic omittam defendere recentiores Theologos Morales, quos initio dicebas, non respondere quæstionibus conscientiæ ex doctriuã Patrum (hoc enim melius faciam disp. 7. ubi iterum de Patribus sermo erit, contentus hic defendisse Theologos speculativos) id solum dicam, eos fovere eam praxim administrandi hoc Sacramentum, quam recepere Sanctissimi Pontifices, Synodique, & Sanctissimi Ordines Regulares, ut præcedentibus disputationibus ostensum est, quæque est conformis institutioni hujus Sacramentis, & Scripturis, ut sequenti disputatione ostendam.

D. R.

D. R. Id si eviceris, acta res est, siquidem institutio Christi Domini est regula certissima solvendi præsentem Controversiam. Sed habeo multa, quæ huic tuo proposito objiciam.

D. D. Cum iterum conveniemus, habebis me benevolum Auditorem.





CALUMNIA VI.

Præsens Benignitas in administrando hoc Sacramento non est consentanea Scripturis, & ejusdem Sacramenti Institutioni.

DISPUTATIO VI.

Doct. Discr. Cquæ nam sunt istæ Scripturæ benignitati contrariȩ *Doct. Rig.* Multæ illæ sunt.

D. D. Miror, quod esse reperias multas, ego nullas. An diversis utimur Bibliis. Experiar. Affer ista multa loca tibi propitia.

1 *D. R.* Si Sacram aperias paginam, & incipias evoluere, statim occurret Adam,& Eva

qui-

quibus Deus non condonavit statim commissum peccatum; sed vix post fletus, & labores, plurium, quæ vixere seculorum. Occurret Achab, cui Deus se placatum exhibuit solùm postquam ille *operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, & dormivit in sacco*. 3. Reg. 21. 27. Occurrent Ninivitæ, quorum misertus est Deus, solùm postquam *Rex surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere*, jejunavitque cum toto populo Jon. 3. 6. Occurrent alii. Non ergo Deus statim absolvit, nec leves pro peccatis Pœnitentias imponit, ut vos facitis. Ergo nec nos possumus statim, impositâ levi Pœnitentiâ, absolvere. Non enim possumus absolvere, quem non absolvit Deus, nec alio modo ab eo, quo ipse absolvit.

D. D. Igitur illa multa, quæ ex Scripturis minabaris rigoris exempla, ad tria rediguntur; eaque ipsa potius infinitæ benignitatis, argumenta, quàm rigoris, ut dicam postea. Nolo enim hic interpellare te, perge jam ad Institutionem hujus Sacramenti.

D. R. Eam nobis explicat D. Paulus, & 2
Tridentinum, inque eo omnes Patres, ex

quorum Doctrinâ ea Synodus definit. Incipiam ab Apostolo qui ad Hebr. cap.6. sic habet. *Impossibile est, eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei Verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad Pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostensui habentes*. Quo loco certè S. Apostolus non dicit, impossibile esse, quòd qui peccant post Baptismum, iterum renoventur per Pœnitentiam, sed quod renoventur (ut benè Morinus lib.3. c.7. n.1.) *eâ facilitate, & ea perfectione, quâ baptizati per Baptismum renovantur, nullo scilicet cum labore, nullis cum jejuniis, & corporis macerationibus*, subditque. *Opus enim est, mortaliter post Baptismum peccantibus, longâ durâque Pœnitentiâ, multis jejuniis, & corporis afflictionibus, ut gratiam amissam recuperent.* Tridentinum sess.14.
3 cap. 2. sic habet. *Alius est Baptismi, alius Pœnitentiæ fructus; per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur Creatura; plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem & integritatem, per Sacramentum* Pœ-

Pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus & laboribus, Divinâ id exigente Justitia, pervenire nequaquam possumus: ut meritò Pœnitentia, laboriosus quidam Baptismus à Sanctis Patribus dictus fuerit. Hæc igitur ex Tridentino est institutio hujus sacramenti, ut ex hoc loco aliisque probandum suscipit idem Morinus toto cap. 4. prædicti lib. 3. ut crimina post Baptismum commissa, sine magnis fletibus & laboribus non remittantur.

D. D. Infero: Ergo non potest unquam 4
quis absolvi nisi multum diuque fleat, & jejunet, aut saltem velit multum diuque flere, & multa jejunia & corporis afflictationes subire. Nam nequit unquam quis absolvi, nisi præstet quod est necessarium, ut ei remittantur peccata. Ad id autem esse prædicta omnia necessaria, expressè asserit Morinus in ea prima propositione, & in hac ultimâ. Nec profectò potest non esse necessarium, quod est ex institutione. Hoc autem esse omninò falsum, probo primò ex manifesto absurdo. Sequeretur enim, esse exigendum etiam ab eo qui post Baptismum incidit in peccatum solius interni desiderii, ut diu fleat, diuque jejunet, seque aliis hujusmodi laboribus mul-

tum

tum affligat, cùm potest. Hoc autem nullus Confessarius vel dementissimè Rigidus somniavit: jam enim erraret Ecclesia universa, quæ id non facit. Id autem inferri, patet, nam Morinus (tuque cum ipso) in prædictis propositionibus, & præsertim in prima loquitur expresè de quovis peccante mortaliter post Baptismum, docetque cuique esse illa necessaria, *ut gratiam amissam recuperet*.

5 Probo 2. ex alio simili absurdo. Nam certum est, Pontifices sæpe relaxare Pœnitentias injunctas tali modo, ut qui Pontificiam Indulgentiam lucratur, obtineat sine jejuniis, sine aliâ magnâ corporis afflictione, longoque fletu, & absque eo, quòd ista præstet, remissionem etiam pœnæ, ergo prædicta non solum non sunt absolutè necessaria, ut alicui remittantur peccata, sed neque ut remittantur pœnæ peccatorum: in iis enim, quæ sunt ex Divina institutione necessaria, neque Pontifex potest dispensare.

Probo 3. ex eo quòd Concilium Tridentinum tam distinctè loquens in ea sess. 14. de necessariis ad obtinendam Gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, nunquam docet, ad id requi-

requiri prædicta longa jejunia & afflictationes; & quidem nec dum agit de satisfactione, quam solum requirit ad remissionem Pœnæ, & nec ad talem effectum requirit tam asperam & longam, sed quam prudens Confessarius imposuerit.

Probo quartò ex ipso Morino, qui cap. 9. lib. 4. pluribus probat, *Pœnas sceleribus impositas, à nascenti Ecclesiâ ad hæresim usque, Montani, breves admodum fuisse*, ergo falsum est, opus esse ex institutione Divinâ, longâ & aspera Pœnitentia, ad recuperandam Gratiam amissam. Quæ enim requiruntur ex Institutione Divinâ, immutabilia sunt. Igitur vester rigor nullum fundamentum habet in Institutione hujus Sacramenti, ut nullum habet in Scripturis. Quas enim produxisti, nihil evincunt, ut postea ostendam.

Nostram autem benignitatem, utrique 6
fundamento inniti, facilè demonstro. Loquar priùs de Institutione hujus sacramenti, ex quâ sic arguo primò. Voluit quidem Christus Dominus, ipsum administrari modo judiciario, adeoque à Judice audiente accusationem Rei, & sententiam pronunciante, ita tamen, ut favorabilior forma judicii excogi-

cogitari vix possit. Judex enim Angelus non est, qui peccare nnn possit, sed homo circumdatus infirmitate; nec alius esse potest quam Sacerdos, nempe mediator inter Deum & homines, & sequester pacis. Rursus, idem qui Judex, Medicus debet esse, adeoque personę Medici debet attemperare sententiam. Actor verò accusans, non alius est, quam reus ipse, cui, etiam, cùm pro se testatur, credendum est; nisi vim sui testimonii contrariis factis elidat. Finis pręcipuus hujus judicii, non est damnatio seu pœna Rei, sed ejus absolutio & reconciliatio. Quis autem non videat, hujus judicii legibus optime congruere præsentem Ecclesiæ benignitatem, non sic vestrum rigorem?

7 Secundò. Ea ratio administrandi hoc sacramentum, magis accedit ad Institutionem Divinam, quę est magis utilis Fidelibus. Christus enim, ipsum instituit, amans & cupiens esse perutile. Atqui ratio & modus quo nunc administratur, est magis utilis Fidelibus, quàm quo ipsum administrari vellent Adversarii: quotidiana enim experientia ostendit, magis revocari ad Pœnitentiam peccatores, per eam quam tueor benignitatem,

tatem,

tatem, quàm per contrarium rigorem, quo ut sepè diximus, odiosus redditur medicus & medicamentum; unde vel confessio omittitur in perpetuum, vel non fit integra, vel non fit ex corde, sed ex solo metu Censurę.

Tertiò Christus Dominus noluit hoc sacramentum administrari tali modo, quo esset plerisque Peccatoribus, & ferè omnibus, laqueus & occasio peccati: hujusmodi autem esset, si non administraretur benignè, sed rigidè; nam plerique, ut modò dicebam, aut nunquam confiterentur, aut malè. Quod confirmo ex ea communi difficultate, quam Peccatores, quamvis tam benignè administretur hoc sacramentum, experiuntur in integra suarum omnium culparum expositione; undè tam multi tam rarò confitentur. Quid ergo fieret, si rigidè, ut volunt Adversarii, hoc sacramentum administraretur? Idem argumentum sic proponitur: Sacramentum Pœnitentię est remedium mali communis, adeoque ferè omnibus adultis necessarium ad salutem: pauci enim sunt illi, qui peccatum lethale nunquam commiserint. Remedium autem mali communis & necessarii, non sic instituitur, ut sit ejus usus per-

perdifficilis, & maximè arduus, qualis esset hujus sacramenti usus, si essent necessarii illi fletus longi, ea longa jejunia, vel aliȩ corporis afflictationes. Igitur Institutio hujus sacramenti, hujusmodi est, ut ei sit maximè consentanea prȩsens Ecclesiȩ benignitas.

8 Probo nunc eam esse consentaneam scripturis, non solum novi Testamenti, sed etiam veteris. Fuit quidem tempus rigoris potius quam benignitatis, ea veteris Testamenti ætas, quam Deus, mirabilium quidem, sed æque terribilium ætatem esse voluit: Hinc illa Legis intes fulgura ac tonitrua promulgatio, ingens ille Præceptorum numerus, illæ vel seditiosorum hominum in Deserto, vel tangentis, vel videntium Arcam subitæ neces, hinc illa tam frequens sui populi captivitas, cædesque. Hoc ipso tamen tempore, non solum negatum delinquentibus non fuit unquam auxilium, quo in gratiam læsi Numinis redire possent, sed fuere omnes blandissimis invitamentis, ut ad obsequium redirent, allecti; fuitque omnibus promissa, in antiquum amicitiæ statum integra restitutio, nullà aut jejuniornm, aut longi fletus imposita lege, sed eâ solum, quòd verà

verâ sinceráque voluntate in Deum se converterent, ut constat ex illis Prophetarum vocibus, amore plenissimis, *Quiescite agere perversè* (Isaiæ 30.) *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur*. Et cap. 43. *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor*. Et rursus cap. 55. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum*. Zacharias similiter cap. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*.

D. R. Quis isthæc ignorat? Certè statim convertitur Deus ad conversos, sed hi non convertuntur statim.

D. D. Nempe conversione perfectæ charitatis, & stabilis emendationis. Sed quis es tu, qui id requiris, ut Pœnitens absolvi possit, quod non requirit Deus? Produc mihi Scripturam, aut Ecclesiæ Doctorem id disertè asserentem, & non generalia docentem. Sed de hoc alibi. *Vera conversio peccatorum non statim fit*, inquis, quanto ergo tempore fit? Post decem dies, post unum mensem, post duos? Ignoras? Quid ergo tempora præfinis, nec 9

audis

audis Leonem monentem Ep. 89. ad Theodorum Episc. *Misericordiæ Dei, nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire?* Redeo ad scripturas; Ezechiel. cap. 23. *Iniquitas impii non nocebit ei in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua*; Quid est hoc nisi monere, non solum Deum esse in quacunque die paratum, sed ipsum peccatorem esse hujusmodi auxiliis a Deo præparatum, ut possit in quacunque die converti, non expectatis hebdomadis, vel mensibus. Eo autem sic converso, nihil expectat Deus, ut ante dicebam, sed veniam statim tribuit, veniam inquam omnium culparum, de qua hic loquor contra Morinum, nam certè tota pœna non remittitur statim, nisi intensissimè dolenti; sed post satisfactionem propriam præstitam à Peccatore; vel Christi Domini, & Sanctorum, exhibitam a Pontifice per Indulgentiam.

10 Ex eo autem quod Deus longam satisfactionem pro pœna, vel etiam pro ipsa culpa exegerit in hac vita, non quidem ab Acab & Ninivitis, ut dicebas, ea enim fuit satis brevis, sed ab alijs, non sequitur id esse communi lege firmatum, ut nemini statim, aut post

bre-

brevem ſatisfactionem detur venia, cùm innumera in ipſis ſcripturis habeamus exempla hujus ſubitæ, aut properatæ indulgentiæ, legemque ipſam Levitici cap. 6. id adumbrantem eo perbrevi obſequio, quo Deus placari a Peccatore in ordinariis delictis volebat. *Anima, quæ peccaverit, & contempto Domino negaverit proximo ſuo depoſitum, quod fidei ejus creditum fuerit, vel vi aliquid extorſerit, aut calumniam fecerit, ſive rem perditam invenerit, & inficians inſuper pejeraverit, & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus ſolent peccare homines, convicta delicti, reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere, integra, & quintà inſuper parte Domino, cui damnum intulerat. Pro peccato autem ſuo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum Sacerdoti juxta æſtimationem, menſuramque delicti, qui orabit pro eo, & dimittetur illi pro ſingulis, quæ faciendo peccavit.* Scio hæc *non ordinata per ſe à Deo fuiſſe ad internam juſtificationem de peccatis*, ut notat Suar. tom. 4. in 3. p. diſp. 35. ſect. 1. num. 2. Ea tamen Pœnitentia & ſatisfactio, quam tunc imponebat Deus, eam adumbrabat, quam in Lege nova impoſiturus erat Sacerdos in Sacramentali Confeſſione, quæ eo He-
 bræi

bræi peccatoris, & pœnitentis sacrificio figurabatur, ut docet Card. Bellarmin. Controv. tom.2. de Pœnit. lib.3. cap. 3. Ut ergo eam Pœnitentiam imponens Deus, Pœnitentiam à Sacerdote in Lege nova imponendam adumbravit; sic ea benignitas, quà Pœnitentiam illam, non admodum gravem nec diuturnam, pro ordinariis delictis, *in quibus solent peccare homines*, imposuit, benignitatem adumbravit, qua Sacerdos in Lege nova pro hujusmodi delictis irrogare deberet.

11 Nec objicias eas alias cap. 20. ejusdem Leu. leges, quibus quædam gravissimè, nempe capite plectebantur. Ea enim graviorum punitio fuit, & pertinens ad forum civile Judicis, quo ille Populus gubernabatur, non verò ad sacrum Sacerdotis, quo noster Sacerdos figurabatur.

12 Illud etiam expendendum est, Legis veteris Doctores, verosque Prophetas, non consuevisse quidem delictis Populi connivere, ut falsi vares faciebant *dicentes pax pax, & non erat pax*, Jerem. 6. 14. non tamen fuisse rigidos & severos, nec solum invitasse peccatores benignissimè ad pœnitentiam, ut supra expendi, sed deprecatores apud Deum fuisse,

ut

ut benignum se Populo, quamvis ingrato, immerito, & millies relapso exhiberet, ut præ cæteris fecit semper primus Hebræorum Dux, ac Doctor Moyses, hac potissimum de causa Deo acceptissimus, qui ad misericordiam vocari gaudet magis, quàm ad severitatem. Hinc Eliam, unum ex omnibus antiquæ legis Prophætis rigidum & inflexum, qui vindictam malorum à Deo flagitabat, ad benignitatem informare Deus voluit eo ostento, quo duplicem Prophetam illi exhibuit, unum sub specie prævalidi venti, arcanæque virtutis terram commoventis, ac demum ignis; alterum sub specie aeris suaviter sibilantis; illum severum, & violentum; hunc benignum, & mitem; in hoc verò, & non in illo præsentem Divinitatem, nempe supernum auxilium ad Populos virtuti conciliandos. *Et ecce sermo Domini ad eum, dixitque illi, Quid hic agis Elias? At ille respondit, zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filii Israel: Altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam, ut auferant eam. Et ait ei: Egredere, & sta in monte coram Domino, & ecce Do-*

minus transit, & spiritus grandis & fortis subvertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus: & post spiritum commotio: non in commotione Dominus, & post commotionem ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis. Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio, videlicet ex præsentia Divinitatis se per eum tenuis auræ sibilum in animos hominum insinuantis. Quia verò rigidiores qui sunt, facile suspicantur malè de aliis minùs rigidis; monuit ipsum Deus, ne putaret omnes filios Israel in Apostasiam esse prolapsos, quin sciret, septem millia ex ipsis numerari, qui manserant in fide constantes, *quorum genua non sunt incurvata ante Baal*. Demum (ut bene expendit Crisost. serm. de Elia) nec hujusmodi ostentis satis edoctum inclinatumque ad benigniora consilia, sustulit eum in Cœlum Deus, rediturum in terras, cum terras omnes occupare conabitur Antichristus, eaque scelera cum suis asseclis patrabit, quæ Prophetas ultores deposcent, non deprecatores. Sublato in Cœlum Elia, Eliseum substituit Deus mitioris ingenii virum, cujus precibus, non ultor ignis de Cœlo, sed imbres in arescentis

terræ

terræ ſolatium evocati, revocati ad ſanitatem leproſi, oleum multiplicatum, mortui ſuſcitati, fames depulſa, ea demum patrata miracula, quibus non accerſeretur ultio Divina, ſed averteretur; peccatoreſque ad Pœnitentiam, ipſis invitantibus beneficiis, ſuaviſſime traherentur.

Hac voluit Deus benignitate inſtructos 13
Prophetas, ſuæ nempe Legis, doctrinæque Moralis Magiſtros in Lege veteri, quamvis ut dicebam, ea rigoris & ſeveritatis tempora eſſent, non autem benignitatis; ageretque cum hominibus tanquam cum Servis, non verò tamquam cum Filiis, qua ratione cœpit agere, cùm ejus Filius factus eſt Homo. Ex eo enim tempore, effuſiſſima fuit Dei in homines beneficentia, iſque rerum Ordo inſtitutus, qui totus eſſet amoris, totus eſſet benignitatis & commiſerationis in Homines peccatores, ut allicerentur ad Pœnitentiam, ad quem præcipuè finem, noſtram Humanitatem induerat Deus, ſuaſque omnes actiones direxerat. Hinc, ut Patres notant, ex progenie David, nempe hominis Pœnitentis, naſci voluit, ut ejus Pœnitentiam acceptiſſimam Deo fuiſſe Peccatores agnoſcerent. Vix

natus Pastores vicinos, & Magos remotos ad se vocavit, ut se non Hebræorum tantum, sed omnium Gentium saluti natum palam faceret. Quærens locum, qui tutum esset ab Herodis astu perfugium, Ægyptum petiit, ut Ægyptiis, nempe Peccatoribus, cùm ad ipsum confugerent, videretur beneficium rependere, utque ea Gens, olim de populo Hebræo pessimè merita, intelligeret, non inde futuram sibi minus acceptam, si suos non imitaretur Patres, & propria crimina detestaretur. Primus ejus è materna domo in publicum excursus, fuit ad Jordanem, ubi Peccatoribus, qui Joannem audiebant, immiscuit sese, eoque Pœnitentiæ lavacro, quamvis nec Pœnitentiæ esset indigens, nec capax, tamquam de peccatoribus unus tingi voluit; ut se eadem pietatis officia profitentem amarent illi magis, nec rigidum cum Pœnitentibus futurum crederent eum, quem viderant in Ordine Pœnitentium. Quamvis non satis illi fuit, quod rigidus non haberetur, voluit haberi benignus: hinc illæ Patris in Filium prodigum clementissimi, & Pastoris de ovis jactura solliciti Parabolæ, hinc illud, & quidem frequentissimum ad Peccatores invitamentū,

ut

ut se benignè tractandos, curandosq; scirent: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis* sarcina peccatorum, *& ego reficiam vos* Non vos acriter increpabo, non forense, & publicum judicium instituam, non subtiles habebo quæstiones, non irrogabo ingentes pœnas, non onerabo præceptis: parcam vitæ vestræ, parcam honori vestro, cumulabo beneficiis, *reficiam vos*. Hinc illæ in Scribas, & Pharisæos Doctores rigidos invectivæ, quod angustiorem facerent portam Cœli, *quod alligarent onera gravia, & importabilia, eaque imponerent in humeros Hominum, Væ autem vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia clauditis Regnum Cœlorum ante Homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Matth. 23. 13. Nec haberi solum voluit benignus, sed benignissimus, inque eos ipsos qui graviùs deliquerant. Hinc ejus perpetua consuetudo,& frequens cōvictus cum Publicanis. Hinc ea adulteræ non absolutio solum, sed defensio. Hinc ea Magdalenæ non vindicatio tantum à calumniis Simonis, sed laudatio. Hinc illa velut oblivio fugæ turpissimæ, cui se in ejus Passione commiserant Apostoli, & citissima ipsorum in pristinum sta-

tum restitutio. Hinc illa Petri post horribilem apostasiam, & repetita periuria, in Principem Apostolorum electio. Hinc demum illa morientis liberalitas, quâ Latro, paulò antè blasphemus, fuit in cœlestis Regni societatem admissus. Quis autem neget, hæc facta fuisse ad exemplum, & doctrinam nostram, non quidem, ut nullam Confitenti Pœnitentiam irrogemus (id enim ipse fecit pro eâ qua præditus erat excellentiæ potestate, ut docet S. Thom. in Addit. ad 3. p. q. 18. a. 4. quâ potestate caremus nos) sed ut eâ majori, qua possumus benignitate, Peccatorum salutem procuremus; nec aliam quam præsentem in administrando hoc Sacramento, praxim sequamur, nisi speciales circumstantiæ, quæ per aliquot sæcula adfuerunt, ut alibi dixi, & modò non adsunt, aliam rationem ineundam suadeant.

14 Et quidem, id Christum Dominum per tot exempla spectasse, firmissimè conjicio, primò ex prædictis ejus verbis, factisque. Cur enim reliqua dixit, & fecit, ut imitemur, non autem hæc, quæ sunt tam multa, tam illustria, ut nihil in totâ ejus vitâ illustrius habeamus? Incredibile enim est, ipsum voluisse

luisse nos Rigidos. & simul ad solam benignitatem instruxisse nos semper, & sola præbuisse benignitatis in Peccatores exempla. Conjicio secundò ex eâ ejusdem increpatione, quâ Joannem, & Jacobum, cupidos vocare ignem de Cœlo in impia capita Samaritanorum, redarguit, docuitque Spiritum novi Testamenti esse Spiritum benignitatis, cupientis potius veniam delicti, & salutem delinquentis, quam pœnam. ut habetur Luc. cap. 9. Conjicio tertiò ex eo quod Petrum, futurum primum Orbis terrarum Presbyterum Pœnitentiarium, & Ecclesiæ suę Caput & Principem, distinctè docuit, ut amaret, & indulgeret; amaret quidem semel & iterum, idest valdè, & semper, indulgeret similiter & ignosceret, non septies tantùm, sed septuagies septies, idest semper ignosceret; nec culpas solum minores, & in se commissas condonaret: sed majores, inque Deum ipsum commissas; ut docet Hieron. in exposit. psal. 19. & Aug. serm. 13. de verb. Dom. Conjicio quartò ex illis ejus verbis Jo. 20. *sicut misit me Pater, & Ego mitto vos*. Quibus pronunciatis, eis potestatem remittendi retinendique peccata tradidit statim, sic enim post 15

ea

ea verba statim Evangelista. *Hoc cum dixisset, insufflavit, & dicit eis: Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Ut ostenderet, communicare se quidem illis suam potestatem remittendi retinendique, solvendi ligandique, sed ita, ut primam remittendi, & solvendi potestatem potissimum exercerent, utpote quos mittebat sicut ipse missus erat à Patre; se autem missum à Patre non semel dixit, non tamquam rigidum Judicem, sed tamquam benignissimum Reparatorem. *Non enim* (ita idem Christus Dominus Jo. 3. 17.) *misit Deus Filium suum in Mundum, ut judicet Mundum, sed ut salvetor Mundus per ipsum.* Quod iterum c. 12. 47. *Non enim veni, ut Judicem Mundum.* Quæ onnia expendens Gregorius Nazian. orat. 26. circa finem, hortatur Præpositos Pœnitentiæ, ut benignè, & comiter agant cum Pœnitente. *Hanc rationem tene: illum corrigas leniter & humanè, non ut hostis, neque ut durus, & rigidus Medicus. Habes medicinæ regulam, Christi Discipulus es, mitis, & benigni, qui nostras infirmitates portavit.* Conjicio quinto ex praxi, quæ primò præsertim seculo, quo

vi-

vixerunt Apoſtoli reliquique Chriſti Diſcipuli, & ſequenti, viguit in Eccleſiâ; quam benignam fuiſſe fateris cum Morino. Non enim ea illius benignitatis ratio fuit, quòd minora tunc eſſent ſcelera vindicanda (id enim, ſi præſertim de ſecundo ſeculo ſermo ſit, incertum eſt), ſed ea, quòd Sacerdotes ita fuerant à benigniſſimo ac Divino Magiſtro verbis, & exemplis inſtituti.

Hac igitur lege; ut eò redeat Oratio, unde incepit, Sacramentum Pœnitentiæ inſtituit Deus, ut qui ipſum adminiſtrant ſummam præſeferant benignitatem; cum non alia fuerit ejus Inſtitutio, quàm totius Evangelicæ Legis, cujus illud pars eſt, Inſtitutio fuerit & forma: certum autem eſt, hanc amore, & benignitate conſtare, hac igitur conſtare debet hujus adminiſtratio Sacramenti, quod tandem hoc argumento confirmo. Perſonam Chriſti induit qui Sacramentum adminiſtrat, unde illud Auguſtini tr.6.in Jo.ante medium, *Petrus baptizet, hic eſt, qui baptizat, Paulus baptizet hic eſt, qui baptizat, Judas baptizet, hic eſt qui baptizat*. Ergo is qui hoc Sacramentum adminiſtrat, ejus perſonam induit, qui ſe peccatoribus Patrem amantiſſimum, clementiſſi- 16

tiſſi-

tiſſimum Medicum. ſollicitum Paſtorem exhibuit ſemper, ſuique ſanguinis effuſione probavit, ergo non debet rigidum Cenſorem agere, & Judicem ſeverum.

D. ℞. Audivi ſatis longam concionem. Diſputationem non ita.

D. D. Quid ni? Materiam non intelligis, de quâ agimus, quæ conjecturis probabilibus oſtendi poſtulat. Quamquam plusquam ſolæ conjecturæ ſint ea, quibus, quod propoſui, probavi: ſunt enim (ſaltem pleraque) argumenta certiſſima. Et quoniam ſecus tibi videtur, doce, quæ ſint magis oratoriè ac magnificè dicta, quàm verè.

D. ℞. Quis modò de tam multis quæ dixiſti, recolat ea quæ non ſatis conſiſtunt. Velim potius, reſpondeas iis, quæ initio propoſui.

D. D. Ne dubites, non refugio pugnam, cùm adeſt hoſtis oppugnans, quem non video. Exemplis enim illis pauciſſimis, quæ de ſacra Pagina protuliſti, nihil urgeor, ut ſuprà ſatis innui, nunc oſtendo clariùs. Tria produxiſti. Primum Adami, & Evæ, ſecundum Achabi, tertium Ninivitarum. Quoad primum Auguſt. Irenæus, & Tertull. allega-

ti

ti à Suario de Opere sex dierum lib. 4. cap. 9.
num. 8. putant eum fuisse statim aut paulo
post justificatum, idque certum esse dicit
num. seq. De Eva non est ita certum, quia
non ita expressè de ea loquuntur Patres. Il-
lud certum est, ei quoque, si statim corde
contrito veniam petiit, statim fuisse culpam
remissam.

D. R. Sed quid ad verba Pauli, ac Tri-
dentini?

D. D. Is ergo est tuus Achilles. Hunc
etiam facilè prosternam, quamvis satis pro- 17
stratum putarim ex absurdis, quæ ex Mo-
riniana, tuaque ejus loci interpretatione,
colligebamus. Illa certè ostendunt, eam inter-
pretationem sustineri non posse. Proferam ego
quam tradunt Patres, præsertim S. Chryso.
stomus, S. Ambrosius, & S. Thomas, asse-
rentes id solum eo loci significare Divum
Paulum, Peccantes post Baptismum, non
posse renovari & purgari per iteratum seu
alium Baptismum, in quo, Peccator ite-
rum moriatur cum Christo, deponens vete-
rem Hominem, eumque quodammodo cru-
cifigens: Audi Chrysostomum hom. 9. in ep.
ad Hebræos. *Expergiscimini, & attendite.*
Non

Non licet dicere : Si dissolutè & negligenter vixerimus , rursus baptizabimur . Erratis hæc existimantes . Impossibile est enim , eos qui semel sunt illuminati &c. non amplius , inquit , expectes , quod non potest fieri . . . . renovare dicit ad Pœnitentiam , hoc est per Pœnitentiam . Quid ergo . Ejecta est pœnitentia ? Non Pœnitentia , absit , sed quæ rursus fit per Lavacrum renovatio. Non enim dixit , impossibile est renovari ad Pœnitentiam & tacuit , sed cum dixisset impossibile est , subjunxit , rursus crucifigentes renovari , hoc est novum fieri : novos enim facere est solius Baptismi .

Audi Ambrosium lib. 2. de pœnit. cap. 2. *Quod ait in hac epistolâ quæ scribitur ad Hebræos : Impossibile esse lapsos renovari in Pœnitentiam : ac rursus crucifigentes Filium Dei , & ostentatione triumphantes , eò spectat , ut de Baptismo dictum credamus , in quo crucifigimus Filium Dei in nobis , ut per illum nobis Mundus crucifigatur . . . semel autem crucifixus est Christus , semel peccato mortuus , & ideo unum non plura Baptismata . . . . Et quia multa erant Baptismata in Lege , meritò reprehendit illos . . . . docet nos scire oportere , destructa esse universa Legis baptismata , unum Baptisma esse in Ecclesia .*

sta. Divo Ambr. consentit penitus D. Thomas 3. p. quæst. 84. art. 10. quem consulere facile poteris.

D. ℟. Hæc interpretatio difficultatem non solvit. Admitto, ab Apostolo moneri, 18
Fideles baptizatos, unum solum esse Baptismum, nec posse peccantem post Baptismum alio Baptismo expiari & renovari. At cur hoc monet? nisi, ut intelligant Fideles, non posse à peccantibus post Baptismum ita facilè recuperari Gratiam per Sacramentum Pœnitentiæ, ut fuit antea accepta per Baptismum? vult enim eos absterrere à peccato. Ergo Sacramentum Pœnitentiæ est ita institutum, ut non administretur tam benignè, ut à vobis administratur; sed eâ severitate, quæ verè absterreat à peccato, ita ut solum absolvatur qui diù flevit, & jejunavit, vel saltem diu jejunabit, aliisque hujusmodi laboribus, pro suis culpis diù satisfaciet.

D. D. Sed tu qui semper resonas Tertullianum, Cyprianum, Ambrosium, Augustinum, aliosque Patres, produc unum aliquem ex his, ita prædictum locum Apostoli interpretantem, nempe ab eo sic moneri Fideles ad eum finem, ut sciant, non ita fa-

facilè,

cilè, sed solum per multos labores post Baptismum recuperari Gratiam?

D. R. Monet, ut absterreat à peccato; non autem absterreret, si per Sacramentum Pœnitentiæ, sine magis laboribus recuperaretur Gratia.

D. D. Utrumque nego. Et majorem, & minorem.

D. R. Cur ergo monet, non esse post Baptismum, locum alteri Baptismo, quo quis expietur?

D. D. Cur? ut hoc ipsum sciant.

D. R. Ut hoc ipsum sciant?

19 *D. D.* Ita. Miraris? Quid, rogo, vult qui Catechumenum monet, non esse in nova Lege Circumcisionem, non esse sacrificium hircorum, & alia hujusmodi? Id vult, ut hoc ipsum sciat. Non miraberis, si recorderis illam esse Pauli epistolam ad Hebræos, apud quos erant multa lauacra. Moneri ergo debebant, non sic esse in Lege novâ, unde non semel inculcat idem Apostolus. Una fides, unum Baptisma. Miraberis minus, si recolas predictas Chrysostomi & Ambrosii interpretationes. Quid queris alios fines, si alios non querunt, nec afferunt, preter predictum,

ctum, Patres tam prçclari, quorum loca, quamvis satis clara, si satis non sint tibi, accipe clariorem D.Thomæ, quem brevitatis gratia omiseram. Objicit sibi hunc locum Apostoli S.Doctor, ad probandum, non posse iterari Sacramentum Pœnitentiæ. Sic autem respondet. *Ad primum ergo dicendum, quod quia apud Judæos erant secundum Legem quædam lavacra instituta, in quibus pluries se ab immunditiis purificabant, credebant aliqui Judæorum, quòd etiam per lavacrum Baptismi, aliquis pluries purificari posset. Ad quod excludendum, Apostolus scribit Hæbræis, quòd impossibile est, eos, qui sunt Illuminati, scilicet per Baptismum, rursum renovari ad Pœnitentiam, idest per Baptismum, qui est Lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, ut dicit ad Tit. 3. & rationem assignat ex hoc, quòd per Baptismum Homo Christo commoritur, unde subditur, rursus crucifigentes sibimet ipsum Filium Dei*. Miraris ne amplius interpretationem meam, imo non meam, sed tantorum trium Doctorum? Quam justiùs admiror ego inconstantiam vestram? Qui enim adeo affectatis doctrinam Patrum, nobisque perpetuo objicitis, quòd ab eis rece-

L damus,

damus, receditis ipsi penitus, ipsumque D. Paulum, Doctorem benignissimum, cogitis vestro rigori suffragari.

Verum volo esse tecum liberalior. Habuerit illum finem Apostolus, absterrendi Fideles à peccato, hi satis poterant absterreri per hoc, quod si peccassent post Baptismum, non possent novo Lavacro, adeoque facillimè renovari, sed esset eis subeundum onus confessionis. An leve onus hoc est, præsertim iis qui gravia commiserunt, quod ne subeant, tam multi Fideles aut non confitentur, aut non integrè, maluntque in æternum ardere? Rursus esset eis subeunda pœna & quidem valde gravis non solum Pœnitentiæ, quam imponeret Confessarius, non semper benignus; sed alterius longè majoris, luendæ in Purgatorio; cùm Sacramentum Pœnitentiæ extinguat quidem reatum totius culpæ, sed non totius pœnæ, quod per se facit solus Baptismus. Et in hoc consistit utriusque hujus Sacramenti notabilis differentia; ratione cujus, à SS.Patribus Pœnitentiæ Sacramentum vocatur laboriosus Baptismus, quatenus licet sine magnis laboribus & fletibus remittat peccatum, non remittit sine his etiam pœnam.

Et

Et ideo Tridentinum non dicit absolutè, eos magnos fletus, & labores requiri ad Sacramentum Pœnitentiæ, sed sine eis non obtineri eam novitatem, & integram remissionem peccatorum, nempę secundum utrumque reatum, quæ obtinetur per Baptismum, quamvis ab his magnis fletibus & laboribus sejunctum. Is est Concilii sensus, & Patrum, dum Sacramentum Pœnitentiæ laboriosum Baptismum appellant; nisi velis, eos respexisse potissimum publicam Pœnitentiam, quæ magnis laboribus constabat. Sed de Patrum circa nostram Controversiam judicio, sequenti disputatione agendum erit, ne præsentem nimis protrahamus.





CALUMNIA VII.

Præſens benignitas, quâ Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtratur, Patrum Regulis ac ſententiis adverſatur.

DISPUTATIO VII.

Doct. Diſcr. Uid vocas Patrum Regulas, quid Patrum ſententias, dum utriſque adverſari dicis noſtram benignitatem?

1 *Doct. Rig.* Patrum Regulas voco Canones Pœnitentiales. Patrum verò ſententias voco quædam eorumdem dicta, ex eorum tractatibus ſeu libris excerpta, quibus expromunt quid ipſi ſentiant de Pœnitentia. Neutri autem ex his congruere veſtram benigni-

gni-

gnitatem, nemo negabit, qui ſciat legere. Nec eſt neceſſe multos libros evoluere. Canones Pœnitentiales habes breviſſimè collectos & adnexos decreto Gratiani; ſententias verò Patrum habes apud Morinum lib. 1. cap. 12. 13. 14. Lege ambos, intra autem horæ quadrantem leges utroſque, & vide, an ulli aut Canoni antiquo, aut Patrum ſententiæ congruat veſtra benignitas.

D. D. Putas ergo iſta me non legiſſe & perlegiſſe? Potuiſti ex te diſcere, an ſciam Canones Pœnitentiales, & legerim Morinum.

D. R. Quid ergo negas quod eſt adeo certum?

D. D. Quid eſt hoc adeo certum?

D. R. Veſtram benignitatem nec veteri Canoni congruere nec Patruum ſententiis.

D. D. Id ego non nego.

D. R. Igitur veſtram praxim patrum Canoni & ſententiis adverſari non negas?

D. D. Nego conſequentia. Iterum con- 2
cedo eam non congruere. Irerum nego quod adverſetut. Non enim hæc duo ſunt idem mi Doctor. Victus communis quo nunc uti-

mur, non congruit ei Canoni Apoſtolico, prohibenti eſum ſanguinis & ſuffocati: Num ergo ei adverſatur? Si id verum ſit, mandatum Apoſtolicum tranſgredimur & peccamus. Uſus, quem habemus conſecrandi panem azymum, non congruit Canoni Græco præcipienti conſecrationem fermentati, num ergo tranſgredimur Canonem Græcum eique adverſamur? Nego conſequentiam: Non enim ille canon reſpicit Latinos. Apoſtolus dicit, oportet ſemper orare. Jam mea vita non congruit Regulæ Apoſtolicæ ejuſque ſententiæ. Num ergo adverſor canoni Apoſtolico nego conſequentia: Non enim eo loci canonem facit Apoſtolus, nec dicit oportet quaſi omnino neceſſe ſit, ſed valde expediens eſt. Igitur diſtingue tempora, diſtingue loca, diſtingue canonem à non canone & concordabis ſententias. Diſtingue Canonem à non Canone, nempe Legem obligantem à Regula ſolum dirigente, quales fuere aliquot ſaltem veteres Canones, imò nec hujuſmodi fuere aliquot ex ipſis reſpectu totius Eccleſiæ ſed ſolum reſpectu alicujus Eccleſiæ particularis, & ideo diſtinguenda ſunt loca. Tandem diſtingue tempora: quæ enim uno tempore

pore obligant & Præcepta seu Leges sunt, alio tempore forte non obligant: Ut enim inquit Gregorius relatus à Gratiano dist. 29. *Regulæ Sanctorum Patrum, pro tempore, loco, & persona & negotio, instante necessitate traditæ sunt.*

Puto autem, te non ignorare primò, jejunia aliosque Pœnitentium labores non esse 3
aliquid ex natura sua præstandum ab eo, qui peccavit, ut est restitutio rei, vel honoris injustè ablati, aliaque hujusmodi quæ Lege naturæ jubentur, & cum vires suppetunt, quovis tempore, & quovis loco præstari debent. Si enim hujusmodi essent Canones Pœnitentiales, certè immutabiles essent, & semper durarent. Secundò nec ex Lege Divinâ positivâ teneri Peccatorem ad longam vel asperam Pœnitentiam exhibendam, ut gratiam amissam recuperet, ut disputatione præcedenti probatum est, præsertim ex absurdis quæ inde inferrentur. Igitur, neque ex hoc capite Canones Pœnitentiales fuere Leges hujusmodi, quæ ab Ecclesia mutari non possent.

Tertiò, Leges humanas, quæ actiones 4
non debitas ex naturâ suâ injungunt, qua-

les sunt prædicti Canones Pœnitentiales, non condi, ut absolutè habeant perpetuum vigorem, nec unquam, aut abrogentur, aut temperentur; cum Legislatori constare non possit, eos semper utiles fore: non enim quicunque uno tempore utiles sunt, sunt etiam quovis alio; cum autem finis Legis sit communis utilitas, ea cessante, necessariò cessat etiam & ipsa. Et hæc est ratio cur cessare potuerint aliquot Canones antiqui ex. gr. decimus Apostolorum de communicando quotidie, trigesimus octavus de cogendis bis in anno Episcoporum Conciliis, aliique hujusmodi. Igitur leges prædictæ involuunt eam tacitam conditionem, ut perseverent, donec sint utiles. Similiter quæ sunt conditę propter fines aliquos particulares, imbibunt eam conditionem, ut durent, donec prædicti fines durant, nisi ad alios fines confirmentur. Talis fuit prædictus canon, interdicens sanguinem & suffocatum. Id enim statutum fuit in eo Concilio Apostolico, ut notat Aug. lib. 32. contra Faustum, in gratiam Judæorum, qui Christianam Religionem susceperant, quorum in eo Ecclesiæ exordio, peculiaris ratio habenda erat. Quare post aliquot annos, nul-

lo

lo accedente decreto, velut ex naturâ suâ vigere desiit.

His præjactis veluti fundamentis, facilè 5
statuo doctrinam meam, & reddo rationem,
cur prædicti Canones Pœnitentiales vigere
magnâ ex parte desierint, manente eorum
observantiâ solum apud sacrum Fidei Tribunal. Prima ratio ea fuit, quod conditi erant
ad eos fines, qui paulatim desiere, saltem ex
parte; unde finis adæquatus, sine quo conditi non fuissent, non permansit. Hos fines
enumeravi part. 1. disp. 9. & iterum part. 2.
disp. 2.

D. ℞. Ad eos fines conditi fuere, qui 6
recensentur à Patribus, dum hortantur Fideles ad longam, & asperam Pœnitentiam. Atqui à Patribus hi recensentur, nempe ut placarent iram Divinam, ut darent signa veræ Pœnitentiæ & sic possent absolvi, ut scandalum averterent ab Ecclesia, eique tantum prodessent bono exemplo, quantum malo exemplo nocuerant; qui fines etiam modò perseverant: nam etiam modò peccata, ut putò, irritant iram Divinam, & multa sunt aliis scandalo, & rursus etiam modò debet Pœnitens dare signa veræ Pœnitentiæ. Ergo &c.

D. *D.*

D.D. Non malè objicis sed disp.2. hujus secundæ partis habes solutionem. Nunc addo, alia esse motiva faciendi rem aliquam, alia motiva obligandi ad eam rem faciendam; nec omnia motiva unius sunt motiva alterius. Hinc licet multa adsint motiva quæ Peccatori suadent perpetuam Pœnitentiam, & Virgini suadent perpetuam Viginitatem, non inde hæc motiva suadent obligare Peccatorē ad perpetuā Pęnitentiam, & obiigare Puellas ad perpetuam Virginitatem. Patres proponunt Populo motiva faciendi longam Pœnitentiam, quæ etiam nos modò proponimus, dum hortamur ad longam, imò etiam perpetuam Pœnitentiam, sed ea non fuere motiva saltem adæquata, & sufficientia ad obligandum Peccatores ad eam longam Pœnitentiam. Et quidem sæpè Patres, dum ipsorum Canonum rationem afferunt, afferunt solùm inadæquatam, ut facit S. Leo Ep. 4. ad Episcopos Siciliæ, & Epist. 78. ad Episcopos Campaniæ Samnii, & Piceni, reddens rationem, cur solis diebus utriusque Paschatis, administrari Baptismus deberet. Rationem enim petit ex prærogativâ illorum dierum, & Mysteriis, quorum memoria tunc recolitur, quæ certè

est

est ratio inadæquata, nam si esset adæquata deberet etiam nunc ille Canon vigere, cùm eadem nunc prærogativa eos dies commendet & eadem in illis diebus etiam nunc mysteria celebrentur.

Alia ratio, propter quam illi Canones desierunt vigere, ea fuit, quòd desierunt esse utiles, aut ceperunt esse minus utiles, quam esset oppositum, idque propter mutationem circumstantiarum, ut ostendi prædictâ disp. 2.

Addo nunc tertiam, nempe eam, quòd 7
ea rigidioris Pœnitentiæ disciplina, vitio quorumdam, non solum facta fuerat minus utilis, sed plerisque etiam perniciosa. Initio quidem, & per aliquot secula, ingens illa eorum Canonum severitas venerabilem fecit nostram Fidem & Religionem, non autem invidiosam; vel quia Episcopi gravissimas illas Pœnitentias pro solis gravissimis delictis, quæ capitali supplicio lege civili plerumque plectenda essent, ut sunt homicidia, & adulteria, imponerent; vel quia, ad illas subeundas non cogerent reluctantes; vel quia illas plerumque temperarent. Posteà verò, tantus amor rigidæ disciplinæ incessit Episcopos non quidem omnes, sed satis multos, ut teste

Mo-

Morino lib. 4. cap. 10. *Debitum modum in immensum excesserint*, excessibus à me recensitis disp.9.par.1.& cum graviFidelium detrimento. Et primò quidem, Episcopi ipsi suorum subditorum amorem amiserunt; hinc tam multi, ut aliàs, dixi, dicamque, longa itinera suscipere maluerunt, & ab extremis Galliarum, aliorumque Regnorum finibus Romam pergere, & sistere se pedibus Pontificiis, quàm se illorum judicio submittere. Secundò, innumeri vel non adimplebant impositas Pœnitentias (unde ea praxis Roberti de Flammesburg non imponendi onus valde grave reluctantibus, ut ab ipso audivimus disp. 3. num. 6.) vel ex desperatione adimplendæ Pœnitentiæ, de suâ salute desperaverant, & Confessionem penitus omiserant, cujusmodi illi fuere, qui in spem salutis ab Urbano II. revocati, ut alibi dicam, ingentem illum Crucesignatorum exercitum conflarunt. In his profectò circumstantiis, benignitate, eâque magnâ opus erat, ut Populi ad usum aliquem Sacramentorum revocarentur. Debuit ergo praxis antiqua cessare, & alia tempori magis opportuna in mores induci. Inducta ea fuit communi utilitate, quam

innui-

innuimus dicta disp. 3. & fortè disp. 11. uberiùs expendemus. Sublatâ veteri praxi, & cum eâ canone antiquo, jam nostra praxis ei non adversatur, & repugnat; cùm Canon antiquus qui desiit, non amplius contra nostram libertatem pugnet; ut ex eadem ratione non fit modò contra Canones antiquos, dum à nobis comeditur caro suffocata, dum Baptismi celebrantur omnibus diebus, dum non omnes qui intersunt Sacrificio Communicant.

Hinc facile ostendo illud alterum, nempe nostram praxim non repugnare Patrum sententiis. Patres enim, suorum temporum disciplinam respiciebant, cùm videlicet prædicti Canones, saltem in gravioribus delictis vigebant, vel in omnibus Ecclesiis, vel saltem in aliquibus. Jam enim præcipiebatur prædictis ea tam longa, & aspera Pœnitentia. Posito autem præcepto, erat ea absque dubio necessaria ad salutem. Non inde tamen sequitur, esse etiam modò necessariam, cùm prędicti Canones non vigēt, nec ea præcipi solet. 8

Addo, persæpe dici necessarium seu debitum, quod est solum valde utile. Hinc Concionatores, quamvis sciant nullum dari præceptum, quo post peccatum, statim confite- 9

fiteri teneamur, sed satis esse culpam ex divino amore detestari, nisi aliunde urgeat præceptum confitendi, ut si Peccator sit in mortis articulo: adhuc tamen latè invehuntur in eos, qui post commissum grave peccatum, Confessionem differunt ad longum tempus, perinde rem omnino necessariam omittant; dicuntque non semel, imò perpetuò inculcant, eum qui peccavit, debere quam primum ad Confessorem convolare, quia videlicet id est valde utile, & oppositum est periculosum. Id significant Patres persæpe aut semper, dum invehuntur in eos, qui post gravia peccata, Pœnitentiæ diuturniori non vacant, quatenus ea est valde congrua Peccatori in satisfactionem commissi delicti, eique perutilis ad obtinendam veram contritionem, & stabilem Pœnitentiam, & emendationem, totiusque pœnæ relaxationem. Nemo autem est, qui nesciat, non omne præcipi, quod est perutile, licet oppositum sit periculosum. Certè utilius est Confessionem nihil differre, quam se longo jejunio macerare, & periculosius est Confessionem diù differre, quàm omittere longam pro culpis commissis, & remissis Pœnitentiam, nec tamen ut dicebam, ullo præcepto

cepto cautum est, exceptis aliquibus casibus, ne gravis culpæ Confessio differatur.

Ex his facilè explanantur sententiæ Patrum. Profer illas, & experimentum cape.

D. R. Non video, qua ratione ex his possit saltem aliquibus significantioribus apposité responderi. Afferam aliquas. Justinus Martyr in fine Dialogi cum Tryphone Judæo, loquens de Davide, *Cujus* (inquit) *peccatum tum demum remissum est, cùm ita ploravit & lamentatus est, sicut de eo scriptum est. Verum enim verò si viro tanto non est ante noxa remissa, quam Pœnitentiam egit ac tum demum, cùm tantopere flevit, & res tantas fecit magnus ille Rex, & unctus, & Propheta; quàm tandem impuri isti homines, nisi lamentati fuerint, planxerint, & Pœnitentiam egerint, spem habere possunt, non imputatum iri illis à Domino peccatum?* Ergo ex Justino est impuris hominibus necessaria ingens Pœnitentia.

D. D. Sed quid dicis ad ea absurda quæ inde inferuntur, & ostendi disputatione præcedenti, satis clare inferri? Igitur est ab omnibus benignè explicandus Justinus, ut non significet esse absolutè necessariam eam magnam, & externam Pœnitentiam quam fecit Da-

David, sed Pœnitentiam, lamentationem & planctū cordis, quæ subinde cùm Sacramento sufficit ad salutem, & rursus esse perutilem eam externam Pœnitentiam; vel ita, ut non significet, esse necessariam magnam illam internam, externamque Pœnitentiam ad habendam spem salutis necessariam, sed ad habendam majorem spem salutis suæ, ad quem finem ipse David tamdiu flevit. Cæterum fuit illi statim post Prophetæ repræhensionem, & post illa ejus verba *peccavi Domino* remissum peccatum, ut docent Interpretes, & satis significant illa verba Prophætæ *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*. Ergo dum Justinus dicit, non esse ei *noxam remissam, priusquam tantopere fleret, & res tantas faceret*, non loquitur de remissione noxæ secundùm culpam, sed secundùm pœnam, ad quam delendam in hac vitâ, utique necessarius est longus fletus: ad hoc ipsum autem Deus nos non obligavit, nempe ad satisfaciendum in hac vitâ pro tota pœnâ. Demum (ut breviùs dicam quod antea dixi) est id a Justino concionatoriè dictum, nempè solùm ad significandum quàm congruum sit, licet nō semper debitum, ut qui peccavit, diu fleat & longam

Pœ-

Pœnitentiam agat. Profer alterum.

D. R. Tertullianus jubet, eum qui deliquit post baptismum, *Sacco & cinere incubare, jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum*.

D. D. Idest monet & hortatur, quod facimus etiam nos, quamvis necessarium omninò id esse, negemus.

D. R. Sed Cyprianus non hortatur so- 11
lùm, sed invehitur in Confessores, qui hanc longam Pœnitentiam non exigebant a Lapsis, antequam eos absolverent; eosque peccare dicit contra Dei Legem. Ergo ea longa Pœnitentia est omninò necessaria.

D. D. Igitur Ecclesia, quæ modo lapsos absolvit, antequam agant Pœnitentiam, facit contra Dei Legem, ergo etiam Ecclesia vetus fecit contra Dei Legem, quæ, teste ipso Cypriano, aliquando statim absolvebat. Hæc erant absurda, quæ antea monui, & iterum moneo, quia video, te eorum oblitum. Igitur S. Cyprianus respicit ad praxim eorum temporum, ut antea dicebam, & Legem Ecclesiæ, vocat lato modo Legem Dei. Sed quæso, ne tempus inutiliter teras. Scio allegari a Morino textus satis longos Ambrosii,

Cæſarii Arelatenſis, aliorumque; Sed hi omnes eorum temporum praxim reſpiciunt, & loquuntur de gravioribus delictis, quæ Cæſarius vocat Capitalia, pro quibus ex Lege Eccleſiaſticâ erat agenda publica, & ſatis aſpera Pœnitentia, quamvis hæc ipſa non nihil ab Epiſcopis humanioribus temperaretur, ut ſæpe monui.

Igitur non eſt, cur hac in re diutiùs immoremur. Satis oſtendi, nos Patribus minimè adverſari in adminiſtrando Sacramento Pœnitentiæ. Illud alterum huic affine, quod
12 diſp. 5. promiſi, oſtendendum mihi eſt, nempe nec in reliquâ doctrinâ Morali nos à Patribus recedere. Memini enim, te in eâ diſputatione dixiſſe, recentiores Theologos ex genio, ingenioque ſuo, non ex doctrinâ Patrum ſcribere & reſpondere.

D. R. Memini me dixiſſe, & confirmo.

D. D. Crede mihi, inutiliter id facis; conſultiùs feceris, ſi priùs audias quæ ſum dicturus. Aut mutabis ſententiam, aut ſaltem minor erit gloriatio tua, tuorumque, qui ſemper jactitant ſe Patrum fidos diſcipulos; & minor erit objurgatio noſtra, nempe recentiorum Theologiæ Moralis ſcriptorum, quos

ap-

appellare consuevistis Patrum desertores.

Ostendam autem primò, quam sæpè, quam multum, hoc telo vel clypeo, ex authoritate Patrum petito, abutantur Novatores. Secundò, quæ fuerint causæ hujus abusus. Tertiò cur Theologi Morales sæpe non respondeant dubiis propositis afferendo sententias Patrum, nec tamen à Patribus recedant.

Quod pertinet ad primum. Consuevere semper Hæretici, Patrum se Discipulos 13
jactitare; eoque prætextu, suorum temporum Doctores, tamquam Patrum desertores despicere. *Hæretici* (inquit S. Gregorius lib. 2. Moral. cap. 15.) *ut ea quæ asserunt, commendare stultis mentibus hominum, quasi de antiquitate, possint, antiquos Patres se habere testantur; atque ipsos Doctores Ecclesiæ, suæ professionis Magistros dicunt; cùmque præsentes Prędicatores despiciunt, de antiquorum Patrum magisterio, falsà præsumptione gloriantur*. Hæc eadem prorsus erat wiclephi gloriatio. Sic enim loquitur apud Valdensem tom. 1. lib. 1. cap. 34. *A modernis dissentio, sed cum multis Sanctis antiquis, & specialiter Augustino convenio*. Et quidem Augustinum, præ reliquis

Doctoribus, alij etiam Novatores suffragari sibi stultè jactitarunt, & jactitant. Berengarius, ejusque asseclæ, unius Augustini textibus utebantur, seu meliùs abutebantur, ut apud Guitmundum videre est lib. 3. initio. Eidem Augustino, adeò se addictum profitetur Serapion Hæreticus in conflictu cum Arnobio juniore lib. 2. sub finem, ut non dubitet, hæresis damnare eos, qui vel minimùm ei refragarentur. Claudius Taurinensis Iconoclasta apud Dungalum, quamvis omnes alios Patres reiiceret, adhærere se tamen Augustino dicebat. *Totus meus est Augustinus* dicit Lutherus de servo arbitrio. Calvinus verò lib. de prædestin. *Augustinus adeo totus noster est, ut si mihi Confessio facienda sit, ex ejus scriptis contextam proferre abundè mihi sufficiat.* Neminem verò stultissima hæc persuasio magis decepit, quam Bajum & Jansenium. Hinc ille postquam novit, Romæ damnatam fuisse suam doctrinam, dolere se dixit scribens ad Cardinalem Simonettam, probrosam Sanctæ Sedi damnationem, quâ videlicet ipsissimam Divi Augustini doctrinam (sic ipse dicit) damnarat. Jansenium verò, vix alium totâ vitâ Doctorem se legisse gloriabatur, quàm

Augu-

Augustinum, eàque lectione, ita se Augustini doctrinâ imbutum credidit, ut aliud eructare, aliud scribere non posset. Hinc librum suum, Augustinum Jansenii appellari voluit, perinde solus in Jansenio loqueretur Augustinus, aut ex solo Augustino loqueretur Jansenius, & vix ullum discrimen intercederet inter Augustinum Augustini, & Augustinum Jansenii. Rationem autem, cur tam multos ex Augustino textus congerant Novatores, affert Claudius de Sainctes Episcopus Ebroicensis lib. de rebus Euchar. repet. 6. cap. 9. *Observare licet, Adversarios, sive nostra destruendo, sive sua asserendo, solidis & veris scripturis carere, atque in omni Controversiâ ad unum Augustinum, tanquam ad sacram Anchoram refugere; non quòd ab eorum partibus stet, sed quoniam tam multa, ac tam variè scripsit pro re natâ, ut facile fuerit omnibus post illum Hæreticis, aliquid de ipso contorquere; atque aliorsum, quàm ipse dixerit, vertere.*

D. R. Quorsum ista? Num erit Hære- 14
ticus, quicunque multos affert textus Patrum, & præsertim Augustini?

D. D. Non quidem. Sed Patres semper obtrudere, & solos Patres; Patribus semper,

& præsertim Augustino gloriari, tanquam suo indubitabili duce, præsignante certa vestigia, ac Doctore præmonstrante quodam suæ mentis radio veritatem claram, certam, & infallibilem, ut gloriabantur prædicti Novatores, sapit hęreticam gloriationem. Cęterum pręmonere volui, Hęreticos quoque, Patrum textibus abundare & gloriari: primò, ut appareat, quàm facilè sit Patrum authoritate abuti, ut absque dubio abutuntur Hæretici. Secundò, ne tutam doctrinam vestram judicetis, quòd vobis videatur esse Patrum, & præsertim Augustini doctrina. Quis enim talem eam verè esse, vos docuit, nec decipi vos, ut prædicti Novatores decepti fuere? Tertiò, ne qui libros legit, Patrum sententiis, & pręsertim Augustini refertos, refertos eos illico judicet verâ Patrum, & pręsertim Augustini doctrinâ.

15 At quì contingit, ut tot Patrum textus semper afferatis, dum scribitis, nec tamen vera doceatis? cur sic abutimini Patrum sententiis, nempe ad statuendos errores? Id enim secundo loco enodandum mihi proposui. Plures hujus rei causę sunt. Prima ea est, quod putatis, vos solos Patrum intelligentiâ pręditos

ditos, vos solos noscere singulorum characteres, alios omnes cæcutire. Justa siquidem hujus superbiæ pœna est, ut vos minime omnium Patres intelligatis, & plusquam alii omnes aberretis, quæ ipsa fuit Hebræorum pœna; ut ipsi, qui Scripturas se præ reliquis omnibus, imò solos ex omnibus intelligere putabant, plusquam reliqui omnes, aut soli ex omnibus cæcutirent; & cecutiant adhuc, ita ut videntes opinione suâ, re vera nihil videant, & intelligentes non intelligant. 16

Secunda causa ea est, quod, ut alias monui, nimis despicitis recentes Doctores, quorum aliqui sunt optimi interpretes Antiquitatis; utque Hebræi nolunt audire nos, dicuntque, *habemus Moysem, & Prophetas, nobis vestris Doctoribus, qui eos explicent, opus non est*, ita vos, *Habemus Augustinum, & reliquos Patres, habetote vobis Recentiores vestros, qui vobis sententias Patrum explanent.* Cum ergo fraudetis vos horum Commentariis, horum luce, quâ depelluntur tenebræ, quibus aliquando involuitur Patrum sensus, nec vos ex vobis parem lucem, parem doctrinam, parem eruditionem habeatis, mi-

rum non eſt, ſi in eorum lectione ceſpitetis & cadatis, eos perperam intelligentes; ac ſolos errores hauriatis ex fontibus veritatis. Et quidem incredibile eſt, quàm his ultimis temporibus, veſtrum aliqui deſpexerint Recentiores omnes, & antiquitatem, quæcunque ea ſit, adamarint. Hinc, illis relictis, totos ſe dederunt conquirendis novis veterum monumentis, bibliothecis omnibus puluſtrandis, manuſcriptis omnibus, ſi præſertim carioſa eſſent, excutiendis, corroſis longa ætate characteribus, verbiſque, aut ſubrogandis, aut divinandis, exquirendoque tempore, quo ſcripta, quo alteri credita, quo tranſmiſſa, quo ſepulta. Quod quidem ſtudium optimum eſſet, ſi qui quærunt, bonâ fide quærerent, ac recto judicio quod quærunt, excernerent; nec eruerent ex fundo terræ, quod forte fuit ſtudioſè ſepultum, quodque altiùs infodi præſtitiſſet. *Quorum ego nequitiam* (inquit in Commonit. Vincentius Lyrinenſis quoſdam alios non admodum diſſimiles ſugillans) *odio dignam judico, quod ſancti cujuſque viri memoriam, tanquam ſepultos jam cineres profanâ manu ventilant, & quæ ſilentio operire oportebat, redivivâ opinione diffamant, ſequen-*

sequentes omnino vestigia auctoris sui Cham, qui nuditatem venerandi Noe, non modo operire neglexit, verum quoque irridendam cæteris enunciavit. Longe aliter fratres illi sui, qui nuditatem ipsam venerandi Patris nec suis temerare oculis, nec alienis patere voluerunt, sed aversi, ut scribitur, texerunt eum, quod est erratam sancti viri nec approbasse, nec prodidisse. Similem ego dementiam Romæ non semel sum stomachatus, cum fortè in subterranea ea loca descenderem, ubi, refossa altiùm tellure, veteres statuę, lapides, urnæ, & rudera quæruntur antiqua. Audivi enim aliquos ita, quæ reperta fuerant, & effossa, celebrantes, perinde cernerent antiquitatis miracula, cum re vera vulgaris Artificis opus essent, eorum judicio, qui oculos habebant magis eruditos, quosque ea ex reperto lapide gloriola minimè tangebat. Sed horum dementia innocens est, non ita illorum, de quibus loquor. Cum enim non ita facile de libris rectum judicium feratur, ac de lapidibus, faciliùs primum judicium errat, quam secundum; & rursus ingens damnum existit ex primo errore, nullum, aut vix ullum ex secundo, qui præsertim facile detegitur, non

autem

autem ille. Hinc novis textibus implentur paginæ, vocanturque miracula venerabilis antiquitatis, quæ sunt vilia rudera vetustatis, aut etiam vilia frusta mediæ vel novioris ætatis. Memini me legisse, venerabilem in
17 Galliis senem, Cartusianorum Generalem Præfectum, paucos ante annos, cùm ab amico inviseretur, & sermo incidisset de hujusmodi, qui tum invaluerat, investigandę bonę, malęque antiquitatis studio, exclamasse. Utinam Ecclesiam non perturbent isti antiquitatis laudatores immodici, scrutatores sepulchrorum. Quam timeo, ne antiquata pro antiquis ostentent; ne videlicet bonâ, verâque antiquitate, quam perpetuâ Traditione tenuimus, ablegatâ, spuriam obtrudant non Populis tantum, sed Academiis, sed Ecclesiarum Præfectis &c. In hunc ferè modum is bonus senex, quem fuisse falsum vatem cupio, utinam & sperare possim. Quam tutius esset, nec Antiquis se mancipare totum, nec Recentioribus, sed illis majorem sui partem tradere, his aliquam reservare; quæ ipsa, Antiquis per Recentiorum commentaria illustratis, cedat tandem in honorem Antiquorum.

Tertia causa ea est, quod speculatricem Theologiam despicitis, cujus, ut dixi disp. 5. 18
ea potissima laus est, quod mentem acuit, acuendo autem, aptam eam reddit ad melius distinguendos dissecandosque cogitatus nostros, nempe latentes sub uno verbo plures sensus; & rursum perspicacem, & suspicacem reddit, ac timidam, ne vero sed abdito, obvium, eumque falsum præferat; hinc ea diversarum significationum quæstio subtilis, ac maturum de singulis judicium, quod ferre non possunt ii, qui quidquid subtile est, irrident, & nugas Metaphysicas appellant.

Quarta causa ea est, quòd Romanæ Sedi debitum obsequium non defertis. Quid mi- 19
rum est, si in interpretandis Patribus erretis, si (quæ in Terris Petri sedes est) caretis regulâ veritatis? Eâ autem caretis, dum talem non agnoscitis, quam videlicet, ne errarent, agnoverunt, & sive scriberent, sive docerent, respexerunt semper veteres ipsi Patres, hunc honorem soliti deferre soli Sedi Romanæ, non autem Hipponensi, aut Mediolanensi, aut Nazianzenæ, aut aliis quibuslibet, ut eam non has in dubiis Fidei, & morum, quæ incidebant in dies, consulerent potissimum, ejus-

ejusque responsiones, ut oracula exciperent.

Hæc fuit semper Pontificum Romanorum, supra omnes Doctores & Ecclesias authoritas, quam Deus confirmavit exitu infelici eorum, qui Patrum sententias, responsis Pontificum prætulere, inter quos Polycrates, & Cyprianus, utrique Episcopi primarii, optimis moribus utrique, utrique sapientissimi; sed ille Schismaticus semper, hic aliquandiù fortasse, quòd Pontificium Decretum, ille Victoris prohibentis celebrari festum Paschale cum Hæbreis; iste Stephani, prohibentis baptizatos ab Hæreticis iterum baptizari, minoris fecit, quam textus male intellectos scripturarum & præcedentium Patrum, ut constat ex Eusebio lib. 5. Hist. Eccl. cap. 23. & Baron. ad an. 198. & 255.

20 Quinta causa (ut ad propiores descendamus) ea est, quod Patres legitjs animo jam partis studiooccupato, & ad errores vestros obfirmato, quo nullum lectioni inficiendæ præsentius venenum. Ut enim bono animo legentibus omnia cooperantur in bonum, ita malo animo legentibus omnia cooperantur in malum. Et primò, quæ clarissima sunt, si contraria sint, innumeris cavillatio-

nibus

nibus eluduntur; quæ autem ambigua sunt, videntur clarissime præconceptam continere sententiam. Hinc illa textuum nihil probantium coacervatio, sed quæ alleganti videntur clarissima testimonia. Secundò truncantur textus, vel propriis quibusdam interpositis, in alium sensum detorquentur; non quidem semper dolo malo voluntatis, sed errore mentis, perinde ea textuum truncatio, vel verborum disiunctio sensum non immutet sed declaret, eaque solum truncentur, quæ redundant. Hanc pravam in allegando licentiam, sibi semper arrogarunt Novatores, ut constat ex septima Synodo act. 8. ex Cypriano libro de unitate Ecclesiæ, Dionysio Alexandrino apud S. Athanasium in Apologia pro eo adornata, & Augustino lib. 2. de Nupt. cap. 2. aliisque. Et quidem si verba scripta volare possent, & juberentur in suum locum redire, nescio an illæ Patrum sententiæ, quas in vestris libris congeritis, permanerent omnes immutatæ.

Sexta causa ea est, quod quæ dicta sunt à Patribus, imo & Scriptoribus Canonicis, cum quadam exaggeratione, seu verbis aliquandò significantioribus, & cum quadam Mora-

Morali non autem Logica Universalitate, arripitis ut sonant, nec ea benignè explicare vultis ex Traditione, ac doctrinâ Ecclesiæ, sed hanc ex illis interpretari, nempe clara ex obscuris. Hac de causa errârunt Hæretici innumeri, quos litera occidit, vel putantes (ut de Nicolaitis suorum temporum dicit Petrus Damiani epist. 13. lib. 5. Epist.) dicta omnibus prorsus hominibus, quæ dicebantur solum omnibus unius conditionis, seu status, quamvis verba sonarent omnimodam universalitatem, ex. gr. præceptum, vel permissum esse omnibus prorsus hominibus, quamvis sacro Ordine initiatis, uxorem ducere, illis Pauli verbis *unusquisque suam uxorem habeat*, ut prædicti Nicolaitæ dicebant) vel censentes præceptum esse quod erat consilium, necessarium esse quod est tantum utile, qui fuit error Apostolicorum, docentium præcipi à Christo rerum omnium abdicationem, dum verbis adeo significantibus ad illam hortatur, monetque, esse ferè impossibile, divitem salvari, ut est, Camelum intrare per foramem acus; vel existimantes vetitum, quod erat omnino permissum, ut vesci carnibus, inire matrimonia, secundam tunicam habere, aliaque

que

que hujusmodi, quibus abstinere, laudabile
est, & à Christo Domino commendatum, non
ita tamen ut sit non abstinere peccatum, ut
putavit Eustathius quidam Rigoristarum post 21
Pharisæos antiquissimus, & facile princeps, de
quo Nicephorus hist. Eccles. lib. 9. cap. 16.
*Vulgatum porrò de eo est, nimis eum exactâ cu-
râ, & diligentiâ in absurdas impegisse opiniones,
Ecclesiastico Canoni minimè accommodatas*, quas
Gangrense Concilium tempore Sylvestri I.
Papæ habitum damnavit per eos multos Ca-
nones, quibus Anathema dicitur damnanti-
bus nuptias, esum carnium, usum pallii, aut
aliarum vestium, non tegentium tantum,
sed ornantium, aliaque hujusmodi, quæ non
sunt à Christo Domino, aut ab Apostolis in-
terdicta, quamvis nos aliquando ad eorum
abdicationem ardenter impellant. Hujusmo-
di sententiis, spiritu vehementiori prolatis,
abundant Patres, præsertim Augustinus, ve-
hementioris ingenii, & æstuans ardore Di-
vinæ Charitatis: Hinc illæ propositiones.
*Fides sine Charitate esse potest, p rodesse non po-
test. Inimicus justitiæ est, qui pœnæ timore non
peccat*, aliæque hujusmodi, quæ nisi ad ar-
ctiorem aliquem, & benigniorem sensum
quam

quam præferant redigantur, quo dicendę sunt usurpatæ fuisse ab Augustino, falsę sunt, ut constat ex pluribus Pontificum definitionibus. Quis enim neget, Peccatori carenti charitate multum prodesse Fidem ad resipiscendum; nec omnes ejus actus, quos facit antequam convertatur per actum Charitatis ad Deum, inter quos est ipsa voluntas resipiscendi, odium quamvis imperfectum peccati, esse actus vitiosæ cupiditatis? Quibus tamen sententiis benignè explicandis, sed rigidè acceptis, ut sonant, impletis tractatus, librosque, nescio, an Ecclesiæ definitiones dissimulantes, an contemnentes.

22 Septima causa ea est, quòd non semper expenditis, cui, contra quem, quo tempore scripserint Patres, quod est omnino necessarium ad rectam Scriptorum intelligentiam, ut sequentibus exemplis constabit. D. Paulus ad Roman. 4. ita Fidem attollit, ut videatur ei soli, non autem operibus tribuere, quòd Fidelis salvetur, dum ait *credidtt Abraham Deo, & reputatum est illi ad Justitiam; ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum Gratiam, sed secundum debitum, ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justi-*

justificant impium, reputatur Fides ejus ad Justitiam, secundum propositum Gratiæ Dei, quæ videntur pugnare cum doctrinâ Fidei explicatâ per Jacobum Apostolum, & ab eo eodem exemplo Abraham confirmata: in suâ enim ep. canon. cap. 3. hæc habet. *Vis autem scire homo inanis, quoniam Fides sine operibus mortua est! Abraham Pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac Filium suum super Altare. Vides quoniam Fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus Fides consummata est*. Igitur debent verba Pauli aliter explicari, ac videntur sonare; explicabuntur autem facilè, ab eo qui noverit, ad eos scriptam eam Pauli Epistolam fuisse, qui in observantiis quibusdam legalibus totam spem habebant, aut magis, quam in Fide Christianâ quam susceperant. Debuit ergo illis tam liberaliter celebrari Fides, & præferri prædictis operibus, non autem operibus ex charitate factis, de quibus loquitur Jacobus 23
Apostolus. Hac ratione D. Thomas, ac D. Bonaventura explicant nonnulla in D. Augustino, & reliquis Patribus, quæ videntur communi Ecclesiæ doctrinæ contraria, quatenus usi sunt, ut dicebam, terminis valdè

exprimentibus, per quos videntur in errorem ei contrarium quem impugnant, deflectere, ſed verè non deflectunt, ſi ratio habeatur illorum temporum, eorumque Hæreticorum, contra quos ſcribebant; qui ut ad medium revocarentur, erant quodammodo in alteram partem inclinandi. Igitur S. Bonaventura in Breviloq. par. 3. c. 5. poſtquam probavit ex communi ſententiâ *parvulis non deberi pœnam ignis*, cui videbatur contrarius S. Auguſtinus, addit. *Hoc credendum eſt ſenſiſſe S. Auguſtinum, licet verba ipſius, exteriùs propter deteſtationem erroris Pelagianorum, aliter ſonare videantur. Ut eos reduceret ad medium, abundantiùs declinavit ad extremum, plus dicens, & minus volens intelligi*. Simili modo S. Thomas qu. 5. de malo ar. 2. ad 1. mentem explicat ejuſdem S. Doctoris, aliorumque qui ſimiliter docuerant, pueros mortuos ſine Baptiſmo torqueri pœna ignis. *Sancti tali modo loquendi uſi ſunt, ut deteſtabilem redderent errorem Pelagianorum, qui aſſerebant in Parvulis nullum peccatum eſſe*. Et in cap. 1. Jo. lect. 7. *Antiqui Doctores, emergentes errores circa Fidem ita perſecuti ſunt, ut interdum viderentur in errores labi contrarios*. Ex circumſtantiis igitur,

ex-

explicandus eſt Doctor, & non ex ſolo verborum ſono; qui immutatus, ex tempore, loco, & perſonâ quam alloquimur, diverſam induit ſignificationem.

Octava demum cauſa ea eſt, quod de ſenſu Patrum, ex uno aliquo eorum verbo, 24
& non ex toto contextu, aut ex aliis eorum textibus judicatis; quod ne faceret, Lectorem ſuum graviter obteſtatur S. Hilarius lib. de Synodis ſub initium. *Oros vos per Domini miſericordiam, ut quia mihi ad vos, de Divinis, ut voluiſtis, rebus, & de Fidei noſtræ intemerata conſcientia erit per has litteras ſermo; ne quiſquam de me, ante ſermonis conſummationem, per litterarum exordia exiſtimet judicandum. Iniquum eſt enim, niſi compertâ uſque ad finem ratione dictorum præjudicatam ſententiam ex initiis, quorum cauſa adhuc ignoretur afferre.* Ex prava hac ratione judicandi de Patribus, duplex error extitit in Eccleſia. Primus malignitatis, alter temeritatis. Malignitate peccarunt qui ex uno aliquo Patrum dicto eos erraſſe ſtatim pronunciarunt. Sic ab aliquibus fuit tanquam Sabellianus accuſatus S. Gregorius Thaumaturgus, viſus non diſtinguere Divinas Perſonas; dum agit con-

tra Elianum Ethnicum hominem, ejus mystrii minimè capacem, quas alibi disertè distinguit. Temeritate peccant, qui ex uno aliquo verbo, aut brevi sententiâ, statim colligunt quæ fuerit Patris mens, non ut eum errare, sed sibi favere pronuncient, non ut eum accusent, sed ut se excusent, ac defendant. Hoc modo defenditis vos Rigores vestros. Semel dictum in Tridentino legitis, Peccatorem, antequam justificetur, *incipere Deum diligere*, statim inferitis, ab Tridentino requiri actum perfectæ contritionis in Sacramento Pœnitentiæ: nec respicitis ad totum contextum, eaque multa, quæ idem docet ex professo sess. 14. agens de actibus præ-requisitis ad hoc Sacramentum, unde oppositum clarè colligitur, ut alibi, Deo favente, ostendam. Legitis in eodem Concilio semel fuisse à Patribus vocatum Sacramentum Pœnitentiæ *Baptismum laboriosum*, nec posse nos in eo Sacramento *sine magnis nostris fletibus, & laboribus* restitui in eam integritatem, quam per Baptismum fueramus adepti; & subito infertis, non posse recuperari à Peccatore gratiam nisi diu jejunet, & longam Pœnitentiam toleret, nec expenditis integrum

tex-

textum, & reliqua, quæ paulo ante expendi, quæ vim veſtræ collectionis prorſus elidunt. Simili modò legitis Patres, & explicatis; ſed hoc eſt capere in verbo, non interpretari; non eſt ſententiam ferre, ſed præcipitare; eſt claudere ſibi oculos, non aliis ſenſa Patrum aperire.

Enumeravi cauſas præcipuas, propter 25
quas, quamvis Concluſiones veſtras mille Patrum ſententiis probetis, aut potius probare curetis, tamen verè Patribus non conſentitis, ſed potius ab eorum verâ doctrinâ receditis, & aberratis. Nunc oſtendam, quod oſtendendum mihi ſupereſt, cur nos non ita multos textus Patrum afferamus in doctrinâ morali, nec plerumque ex antiquis Patribus reſpondeamus. Hac autem queſtione ſolutâ, patebit, à Patribus nihil recedere noſtram Doctrinam.

Prima ratio, propter quam ſubinde propoſitis quæſtionibus ad mores pertinentibus, non reſpondemus ex Patribus, ea eſt, quod in re Morali, lumen Naturæ, & ratio plurimùm valet, quare ſapientiſſimè Auguſtinus, cùm quæſtio eſſet, an mendacium, aut ſimulatio aliquando liceret, ex ratione magis reſ-

pondendum putavit, quam ex authoritate Doctorum, nempe Hieronymi, aliorumque, quos Hieronymus pro se allegabat.

26 Secunda ratio ea ipsa est, propter quam nec Philosophi modò ad omnes quæstiones respondent ex Platone, vel Aristotele, nec Mathematici ex Euclide, aut Archimede, nec Medici ex Hippocrate, aut Celso, nec Jurisconsulti ex Vulpiano, aut Scriboniano, quòd videlicet innumeræ quæstiones modo agitantur in Scholis, & quidem sapientissimè, & necessariò pro conditione horum temporum, de quibus Veteres nec consultò, nec per occasionem, nec ullâ aliâ ratione quidquam scripsere, ut patet percurrenti syllabum quæstionum quæ modo tractari solent, & debent. Igitur, aut consulendi Recentiores erunt, aut ratione utendum erit, petita quidem aliquando ex antiquis Doctoribus universales quasdam regulas statuentibus, sed per longum discursum, cujus demum fundamentum est ratio; aliquando verò, & plerumque nec petitâ isto modo ex illis, ex quorum doctrina nihil luminis effulget ad aliquid in quibusdam materiis statuendum, sed ex solo dictamine rationis. Dixi *sapientissimè* nunc à Theologis Morali.

ralibus agitari in Scholis, easque veluti morum Leges condi, aut Regulas tradi, aut explicari, de quibus nihil habent Patres, ut sapientissimè Deus per Prophetas post plura sæcula tradidit ac docuit, quæ non docuerat priùs; & sapientissimè Patres ipsi multas quæstiones, pro loco, & tempore tractarunt, quas nec attigerant Apostoli, nec proximi eorum successores. Quin hæc est nostrorum temporum laus magna, hæc nostra felicitas, ut vix ullum modo possit in moribus dubium incidere, vix ulla quæstio proponi, cui responderi facile non possit ex iis, quę à nostris Doctoribus agitantur.

Tertia, & potissima ratio ea est, quod 27 plerumque Patres, cùm de pertinentibus ad mores, & regimen humanarum actionum agunt, vel non quęrunt, an hoc licitum sit, an illicitum; vel si licere, aut non licere dicunt, non edocent, an ex natura sua, & semper sit illicitum, an ex iis, quæ ordinariò rem illam circumstant, nec circumstantias ipsas distinguunt, sed actionem ex. gr. aliquam damnant, invehuntur in eos, qui non abstinent. Hinc autem colligi sapienter non potest, eam esse ex se, & semper malam, & gra-

vi potius quam levi malitiâ infectam; alioquin quia sæpe invehuntur Oratores sacri, vt paulo ante dixi, in eos qui post grave peccatum differunt in plures hebdomadas, vel menses Confiteri, expectantque ultimos majoris hebdomadæ dies, id ex se & semper grave peccatum esse docerent, quod sane non docent. Et ut exempla ex ipsis Patribus petamus, Hieron. lib. 4. Comment. in cap. 18. Matth. sic interpretatur præceptum Dominicum de abscindendo pede, vel manu, eruendoque oculo scandalizante, *Si inquit ita est quis tibi conjunctus, ut manus, pes, oculus; & est utilis, atque sollicitus, & acutus ad perspiciendum, scandalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum, te pertrahit in gehennam; melius est, ut & propinquitate ejus, & emolumentis carnalibus careas, ne dum vis lucrifacere cognatos & necessarios, causam habeas ruinarum.* Ex hoc textu, Doctores egregii qui estis, respondete filio familias quærenti, quid sibi faciendum sit, sæpe peccanti ex pravis incitamentis sui fratris, sepius frustra moniti à se, & Majoribus suis, à quo dividi non potest, an teneatur ipse, adolescens delicatus, & subjectus suis Parentibus, clam domo aufugere,

&

& ire profugus, & mendicus? Quid illi responsi datis?

D. R. Non tenetur sic abire.

D. D. Ergo deseris D. Hieronymum, docentem indistinctè abscissionem a propinquissimis, ut est oculus cuique, si sint causa ruinæ; vel saltem ex ejus textu non respondes. Nam dicis non teneri, de quo nihil Hieronymus. D. Ambrosius de Pœnit. lib. 1. cap. 13. docet aspiciendas non esse fœminas à viris, nec viros à fœminis. *Et ideo* (inquit) *velamine obnubit caput suum mulier, ut etiam in publico, tota verecundia sit; non facilè vultus ejus in adolescentis oculos excurrat, nuptiali velamine tuta sit, ne vel fortuitis occursibus pateat ad vulnus vel alienum, vel suum, sed utrumque suum vulnus est.* His docet quidem non debere fœminam obtutum facilè in virum intendere, decere ut caput obnubat, cum prodit in publicum, & rursus posse cultu immodesto peccare, & esse causam alieni peccati. At non inde intelligam, quando mulier graviter peccet aspectu virorum, nimioque cultu, & quando censeatur esse alieni vulneris causa. non enim quandocunque vir labitur ex intuitu puellæ ornatæ, imo & non ornatæ, tene-

tur

tur hæc, aut domi ſubſiſtere, aut omnem ornatum deponere.

D. R. Ex uno certè vel altero tantùm textu Patrum, morum regulam non habes, ſed habes ex multis.

D. D. Nec ſi congeras mille textus, exactam ſemper habebis ad ſingula reſponſionem, ex triplici eâ ratione, quam tradidi, quòd aut nihil ſcripſere de aliquibus, aut fere nihil; aut ſolum generalia principia; aut adhortando potius, quàm definiendo; aut ex ratione, quam ſubdo.

29 Quarta cauſa ea eſt, quod aliquando Patrum reſponſa reſpiciunt, ut ſupra dicebam, eorum temporum Canones, qui modo non vigent; non poſſumus ergo eorum reſponſis ſemper uti ad ea quæ ſunt modo licita, vel illicita ſtatuenda. Ex. gr. Auguſtinus lib. quæſt. veter. ac novi teſtam. vel quicunque ſit auctor illius lib. quæſt. 127. ut refertur cap. *Chriſtiano* quæſt. 4. docet eſſe illicitum conjugibus convenire diebus Proceſſionis. Et Ambr. ſerm. de Adventu Domini, ut refertur cap. *Fratres* 33. quæſt. 4. idipſum prohibet in die jejuniorum, quin aliis multis diebus, ut habet in epiſt. 1. ad Cor. cap. 7. & refertur

cap.

cap. *Si causa*, eadem quæst.4. quia videlicet ea abstinentia tunc conjugibus præcipiebatur lege, quæ vigebat etiam tempore Bedæ, qui cap.4.de remediis peccatorum habet hunc Canonem. *Qui in matrimonio sunt, abstineant se tres Quadragesimas, & in Dominica nocte, & in Sabbato, & feria quarta, & tertia, quæ legitimæ sunt, & tres noctes abstineant se, antequam communicent*. Qui canon saltem pro diebus Quadragesimę majoris & supplicationum, habuit forte in aliquibus Ecclesiis vim veri, & gravis pręcepti, cujus transgressio gravi pœnitentiâ plectebatur. Hinc subdit hunc alium Canonem. *Qui in Quadragesima ante Pascha cognovit uxorem suam, & noluit abstinere, unum annum pœniteat, vel suum pretium reddat ad Ecclesiam, vel pauperibus dividat*. Et S. Gregorius 1. Dialog. refert fœminam quandam à Demone arreptam fuisse, eo quod post accessum conjugalem, publicis supplicationibus interfuisset. Nunc quæro quid sis responsurus fœminæ, petenti an liceat post redditum Marito debitum, publicis Ecclesiæ officiis, supplicationibus, & mysteriis Divinis interesse, imo & communicare? Non licere? Damnabis igitur præsentem Ecclesiam,

fiam, quæ hanc fœminam à facris officiis & fupplicationibus non arcet? Refpondebis licere? Ergo deferes Patres, & quot, & quales Patres? Non defero dicis, nam defiit vigere ille Canon, idemque Gregorius refpondens quæftionibus Auguftini, quem in Angliam miferat, cenfuit nec. effe prohibendos communicare eos Fideles poft caftum, & fanctum ufum conjugii, ne dum fupplicationibus intereffe. *Si quis* (ita ad interrog. 10.) *fuâ conjuge, non cupidine voluptatis captus, fed folum liberorum creandorum gratiâ utitur, de fumendo Corporis Domini, fanguinifque myfterio, fuo eft relinquendus judicio*. Eruditè quidem, & appofitè. At Ambr. & Aug. dicunt non licere; quomodo ergo eos non deferis, quomodo non contradicis? Quid refpondes? Ne dubites vera refpondere, & fateri quod volo, nempe Patres in fuis refponfionibus refpexiffe quandoque fuorum temporum difciplinam, tu vero refpicis præfentem; non igitur ulla eft inter tuam, Patrumque refponfionem difcordia, ergo nec eft inter noftram Patrumque doctrinam ulla difcordia, fi quandoque videmur oppofita refpondere: ex eadem enim ratione, non funt oppofita, quamvis ita effe

rigi-

rigidulis, & frigidulis quibusdam Censoribus videantur.

D. R. Id quidem excuso, & probè intelligo, aliquas Patrum responsiones non congruere nostro tempori, ac proinde non posse Doctorem moralem ex eis respondere: sed multa profectò docent, quæ conguere omni tempori debent; adhuc tamen eos deseritis.

D. D. Profer exemplum. Multa enim dicitis, quæ non probatis.

D. R. Sunt quidem multa, sed non occurrunt modò. Non enim veni hùc paratus, nec id fore tuæ disputationis argumentum putabam.

D. D. Frigida exeusatio. Satis clarè 31
hanc me calumniam hìc disiecturum in calce disputationis quintæ præmonui. Dicas ingenuè. Nullum occurrit, quia nullum est quod occurrat. Forte aliquando deserimus unum aliquem ex ipsis, sed ut sequamur alios Patres eo modo quo Augustinus Hieronymum aliosque ejus socios Doctores, in controversia mendacii deseruit, & quo ipsum Augustinum deseruere Thomas, & Bonaventura in quæstionæ pœnæ puerorum, quamvis ex qua-

dam

dam erga tantum Doctorem reverentiâ id non fecerint expresse, sed eum benignè interpretari conati sint. Igitur id non satis est, ut desertores Patrum meritò vocemur; alioquin desertor Patrum dicendus erit Augustinus, Thomas, & Bonaventura. Plus aliquid requiritur, nempe ut doctrinam tradamus, quam Patres communiter rejiciant, vel unus Pater communiter receptus. Sed hoc non facimus, & ideo tibi nullum occurrit exemplum, quo nos revincas.

D. R. Tandem occurrit, & quidem insigne.

D. D. Audiam.

32 *D. R.* Omnes tam Latini quam Græci Doctores, choreas damnant tanquam delictum Deo graviter invisum. Sic eas damnat Ambrosius lib.3. de Virgin. & alibi uberiori stylo fletuque, peccata, & peccatorum pericula, in quæ saltantes incurrunt, enumerat. Eas damnat Aug.serm.115. tanquam Ethnicâ superstitione infecta. Similiter S.Ephræm de ludis fugiendis. *Ubi cytharæ, & choreæ, ibi vitiorum tenebræ mulierum perditio, Angelorum tristitia, diaboli festum*, Basilius orat.8. de Temper. & Incontin. Castitatem aut corporis,

poris, aut mentis à ſaltantibus fœminis amitti docet. *Quod ſi nonnullæ (inquit) peccatum corpore effugerunt, omnes tamen animo depravatæ, atque inquinatæ ſunt*. Idem ſentit Chryſoſt. hom. 3. de Davide, reliquique utriuſque Eccleſiæ Doctores, quos afferre infinitum eſſet. Veſtri tamen Caſuiſtæ recentiores gravem in eis fœditatem ineſſe negant. Num hoc etiam eſt illud quod pertinet ad ſolam veterem diſciplinam, & noſtro tempori non congruit, ut paulò ante dicebas? Ita profectò noſtro tempori virtutes non congruunt, ſed ſola vitia, & Patres fuere ſuorum temporum Doctores, non autem noſtrorum. Puto quod hæc dicturus ſis. Quid enim aliud reſpondere poſſis non video.

D. D. Non eſt quod inſultes. Eſt quidem mihi quod ingentes tibi gratias agam. 33
Nihil enim illuſtrius dici poterat ad confirmandum quod antea dicebam, nempe Patres conſueviſſe quidem invehi in vitia, generalibus quibuſdam ſententiis, non autem tradere doctrinam ad ſpecies ſingulas deſcendentem, definientemque de ſingulis. Quod ut intelligas tandem, & inſultare amplius non poſſis, quero, inſtituunt ne Patres citati has quæſtio-


ſtiones, an omnes choreæ ſint illicitæ? An hujuſmodi ſint choreæ inter ejuſdem ſexus perſonas ad fallendum tempus ductæ? An ſemper ſint illicitæ, quæ exercentur inter perſonas diverſi ſexus? An quæ licitæ per ſe ſunt, exereeri ab omnibus, aut in omni loco poſſint? Has certè quæſtiones non inſtituunt Patres, ut faciunt Theologi morales, ſed invehuntur in choreas, utique non in omnes, alioquin peccaſſet David animo ſimul, & corpore ante Arcam exultans: ergo ſolum aliquas. Ita profectò explicandi ſunt, quamvis non diſtinguant. At quis Caſuiſtarum omnes abſoluit? Quis non fere omnes quæ miſcentur à perſonis diverſi ſexus damnavit? En tota noſtrorum Caſuiſtarum, etiam eorum quos adeo benignos appellatis doctrina, quam propono breviter, tu aliquantò fuſius propoſitam, videre poteris in Tamburino, lib.7. in Decal. cap.8. §.7. aliiſque hujuſmodi Recentioribus. Chorearum tres ſunt claſſes. Prima eſt abſolutè pudica, ſeu pura. Secunda impura per ſe. Tertia impura per accidens. Puræ ſunt choreæ (eſto ſint aliquando aliquantulum vanæ) quæ inter ejuſdem ſexus perſonas, ſine ullo turpitudinis geſtu, vel ulte-

ulteriori pràvo fine fiunt, ut quas puellæ inter se domi ducunt, vel rustici inter se in suis mapaliis vespere ad levandum laborem. Hę ipsę tamen, quę secundum se licitę sunt, prohibentur Ecclesiasticis, Religiosis, Monialibus. In Ecclesia autem vel prope ipsam, prohibentur omnibus; & secundum mensuram scandali, vel irreverentię, culpam continent. Impurę per se, adeoque semper impurę, sunt quę mixtis maribus, fœminisque, imo etiam separatis fiunt cum gestibus obscœnis, tactibus parum pudicis, amasiarum, amicorumque interventu, & similibus. Hæ profecto sunt gravi malitiâ infectæ, & omnino ablegandæ. Impuræ per accidens sunt choreæ, quæ per honestas fœminas virosque, in conviviis, in nuptiis, in diebus lætitiæ deditis, fieri consueverunt. Hæ per se impuræ & peccaminosæ non sunt, exerceri enim sine peccato mortali per se possunt. Sunt tamen non paucis valde periculosæ; qui proinde pro mensurâ periculi, ab eis abstinere tenentur.

Quid in tota hac doctrinâ contrarium Patribus? Imo quid non dignum Patribus? Et quidem si doctrinam hanc, tam di-

lucidam, tam distinctam, tam brevem & simul omnia complectentem, in antiquo aliquo Doctore reperires, exclamares, Pulchram, Optimam, Divinam doctrinam! Sed quia eam tradunt Recentiores nostri Casuistæ, eam legendo percurrere, ne dum laudibus celebrare dedignatis; quin Patribus contrariam appellas quia magis distinctam. Quid est hoc, nisi Divina beneficia, quia non antiqua, sed nova, recusare? Quid, nisi ipsam doctrinam Patrum rejicere, tuo stomacho, studio Recentiorum præparatam? Intelligis jam ut opinor, prodesse mihi exemplum quod attulisti; eoque magis confirmari quod ostendere conatus sum, Recentiores nostros Casuistas, non ex genio suo scribere, & respondere, sed ex doctrina Patrum, ubi Patres præjuere; ex doctrina non contrariâ Patribus, ubi Patres non præjuere, sed quam ipsi Patres traderent, si hac ætate docerent, si videlicet Casuistam agerent in scholis, & non sacrum in Templis Concionatorem, ut egerunt plerumque, cùm de Moribus agerent, & ideo minùs distinctè locuti sunt, quam cùm de Fide scripsere. Dum autem laudavi Recentiores, plerosque laudavi, nempe eos qui com-

communi Sapientum judicio laudabiles sunt, non autem eos, quorum luxuriantem in opinando licentiam, sapientissime Alexander VII. & Innocentius XI. in suis decretis damnarunt.





CALUMNIA VIII.

Rejecta à SS. Viris, & præsertim à D. Carolo, præsens Benignitas fuit.

DISPUTATIO VIII.

1 *Doct. Rig.* D si negas, compellet te ad affirmandum Episcopus Castoriensis, qui sanctos Viros recenset, quorum dictis & factis, pręsens vestra benignitas reprobatur.

Doct. Discr. Qui sunt isti, quos vester bonus Castoriensis recenset?

D. R. Recitabo partem paragraphi ult. cap. 16. lib. 2. Amor. Pœnit, in quo eos enumerat, suumque judicium interserit.

D. D. Legisti igitur Castoriensem, recen-

centissimum Doctorem (& utinam Doctor esset) tu qui recentes Doctores adeo paulo ante despiciebas? Nempe despicis nostros, non tuos. Veros Doctores despicis, receptos probatos; eos vero, quorum scripta, ut Amorem istum tuum Pœnitentem, Romana Censura notavit, suspenditque, non legis tantùm, sed notas librum, caput, paragraphum, paragraphi partem, verba demum ipsa, apicesque omnes memorię mandas.

D. ℞. Ista non faciunt ad rem, nec est is locus agendi de merito Scriptorum.

D. D. Fortè non faciunt ad rem tuam, sed valde faciunt ad rem meam, nempe ad Fidem. Sed recita.

D. ℞. Sic ergo habet in loco cit. *Præconibus novæ consuetudinis os occludamus exemplis & doctrina Sanctorum, Thomæ de Villanova, Caroli Borromei, Xaverii, Antonii Possevini (qui instructionem S. Caroli, tanquam normam Confessariorum, suæ Bibliothecæ inseruit) Cardinalis Gropperi, Francisci Salesii, Nicolai Alectensis, Francisci Apamiensis, Cardinalis Grimaldi, Gilberti Tornacensis, Guidonis Atrebatensis, eorumque omnium Episcoporum & Doctorum autoritate, qui librum* 2

de frequenti Communione magnis laudibus extulerunt. Vindicibus mollioris & degeneris conſuetudinis, opponatur autoritas Epiſcoporum Galliæ, qui, dum in ſuis Comitiis Divi Borromæi Regulas Confeſſariis præſcriptas laudaverunt, & ab omnibus Galliæ Præsbyteris ſervari voluerunt, quidquid illis adverſum eſt, improbaſſe cenſendi ſunt. Demum opponatur illis authoritas S. D. N. Innocentii XI. qui pravis propenſionibus & conſuetudinibus irretitos, fruſtra in Confeſſionis tribunali de vita emendanda admonitos, niſi ex fructibus ſuam pœnitudinem teſtatam faciant, non cenſet abſolutione dignandos. Hactenus prędictus Epiſcopus.

3 *D. D.* Igitur iſti omnes ſunt egregii illi viri, quorum ſuffragio ſtandum eſt, nempe Nicolaus Alectenſis, Franciſcus Appamienſis, iique reliqui, qui librum de frequenti Communione magnis laudibus eſtulerunt? Scis ne quis liber iſte ſit? iſte liber adeo laudatus? Scis unde ſint excerptæ aliquot Propoſitiones ab Alexandro VIII. damnatæ? Audiſti ne aliquid de quodam Rituali Alectenſi? Ego non redarguo laudatores Librorum, imò nec ipſos Scriptores, cùm ſciam viros eruditos eos fuiſſe; viroſque etiam doctiſſi-

ctissimos lapsos aliquando esse scribendo, ne dum approbando quæ ab aliis scripta sunt: sed probare non possum eam nominum mixtionem, rejectos in eundem Catalogum Thomam de Villanova, Borromæum, Xaverium, Salesium, Alectensem, Appamiensem, & vix non Arnaldum, & ab Sanctissimo Pontifice agmen claudi prædictorum.

D. R. Parum id refert, omittamus illos, qui tibi non probantur. Abundè sit ad refellendam vestram benignitatem, judicium & praxis contraria illorum quatuor, quos jam universa Ecclesia honore sanctorum colit, nempe Villanovæ, Borromęi, Xaverii, & Salesiii, & celeberrimi morum gravitate Pontificis.

D. D. Sed antequam quæ fuerit horum vera sententia, & persuasio quæramus, 4
unum quæro à te, num hi quatuor, aut quinque viri sancti sanctiores, doctioresque fuerint illis omnibus doctissimis, & sanctissimis viris, qui vixere sæculo tertiodecimo, cùm unaquæque earum familiarum Mendicantium, quæ tunc exortæ sunt, innumeros viros doctrinâ, ac sanctitate præstantes, illiusque sæculi decus numeret; quos verbis, & fa-

ctis approbasse presentem hanc benignitatem, adeo illustribus testimoniis ostendi. Suntne hi quatuor, aut quinque, pluris æstimandi, quàm illi centum & mille, & plusquam mille, qui tunc floruere, imò quàm sint innumeri illi, qui his postremis quinque seculis floruere, quos Parentum, & Magistrorum suorum exempla secutos fuisse, non est dubium?

D. R. Id quærere inutile est. Omnis enim comparatio præsertim in re præsenti est odiosa.

5 *D. D.* Imò est necessaria, ut expendatur meritum suffragiorum. Sed omittamus comparationes tibi ingratas, & quæro ulterius, an probabile sit, ab his sanctis viris à Castoriensi enumeratis, reprobari eam praxim, quæ est conformis Institutioni hujus Sacramenti, & Scripturis, quæ non fuit reprobata à tot Sanctissimis, & Doctissimis Pontificibus, ad quos ex munere suo pertinebat eam reprobare, si prava fuisset, quæ, ut modò dicebam, fuit praxis communis per plura secula tot Sanctissimorum, ac doctissimorum virorum, imò totius Ecclesiæ, exceptis Jansenianis, & paucis aliis, ut ex anteecedenti-bus

bus Diſputationibus conſtat? Eſt ne probabile, quod viri tam humiles tantum authoritatis arrogaverint ſibi? Quod ipſi ſoli eo diſciplinæ zelo arſerint, quo nullus alius ex tot viris ſanctiſſimis arſit?

D. R. Ridiculum profectò ſit ex probabilibus id conjicere, quod eſſe falſum evidentia facta demonſtrant, nempe ipſorum ſcripta, quæ idem Caſtorienſis affert.

DD. Non probabilia tantùm ea ſunt, quæ tetigi, ſed certa; oſtenduntque ita eſſe ab omnibus interpretanda, quæ prædicti viri Sancti aut ſcripſere, aut fecere, ut pręſenti Eccleſiæ conſuetudini, receptæque ab omnibus doctrinę non adverſentur; quamvis fortè nec erunt ejuſmodi, quę adeo ſtudioſâ interpretatione indigeant. Novi enim ea, quæ affert ex pręlaudatis ſanctis viris pręd́ictus Author.

Incipiam à primo, nempe à Divo Thoma de Villanova, cujus ſermonem affert lib. 2. cap. 21. §. 2. Ibi autem Sanctus Paſtor invehitur primò in Confeſſarios, abſolventes eos, qui non debent abſolvi: Nemo autem noſtrũ docuit indignos eſſe abſolvendós; quin pravũ hunc ſacrę Poteſtatis abuſum, fatemur eſſe 6

ma-

malum maximum, & his quoque temporibus, non ex benignitate de quâ agimus, quę id reprobat ac deteſtatur, ſed ex impiâ vel ſcordi aliquorum laxitate, valdè frequens, quamvis longè frequentius fuerit infeliciſſimo eo tempore, quo ſanctus iſte Pręſul vivebat, cùm hęreſes, aut à populis receptę, aut in vicinis regionibus gtaſſantes, aut per libros quaquaverſus diffuſę mores corruperant, nec dum eſſet ſuus Eccleſię nitor per Tridentinum redditus.

7 Inde idem S. Pręſul hęc habet. *Illum autem, qui à Domino vivificatus deſiderio ſalutis à vitiorum ſepulcro foras egreditur, vos ò Sacerdotes ſolvite, & ſinite abire. Cavete, ne eum in Sepulcro ſolvatis. Prius ergo vadat, & concubinam à domo pellat, pecuniam alienam reſtituat, contractus uſurarios rumpat, famam proximi læſam, prout poteſt, reſarciat, mercenariorum labores, & pauperum debita ſolvat, offenſo Fratri reconcilietur, & veniam petat, & tunc ad Confeſſarium redeat, & abſolvatur Hic rectus eſt ordo, hic in Lazari ſuſcitatione à Domino ſervatus eſt, hunc ordinem ne tranſgrediaris*. Age nunc triumphum ſi potes. Cui favent iſta, veſtro rigori an noſtrę benignitati?

D. R.

D. R. Nobis favent, qui non ſtatim abſolvimus proponentẽ, ut vos facitis, ſed volumus, ut prius, ſi poteſt, quod propoſuit, exequatur.

8 *D. D.* Non tam citò pronunciares, ſi attentius audiiſſes. Attende igitur. Quem vocat tuus Caſtorienſis vivificatum in ſepulcro, dum eandem Lazari ſuſcitationem interpretatur? Taces? dicam ego. Eum tantùm dicit in ſepulcro antequam ſolvatur vivificari, & fieri dignum ut ſolvatur, qui ſic dolet de peccatis, ut conteratúr per actum prædominantis charitatis: eum verò qui ſolum atteritur, vivificatum negat, ac proinde nequaquam abſolvendum.

Nunc audi iterum prima verba textus citati. *Illum autem, qui à Domino vivificatus deſiderio ſalutis, à vitiorum ſepulcro foras egreditur &c.* Putat ergo Thomas de Villanova, ſufficere deſiderium, & amorem ſuæ ſalutis imbibitum in Attritione, ut peccator dicatur aliquomodo vivificatus. Igitur nobis favet, non autem vobis. Expendamus reliqua. Monet ne peccator ſolvatur in ſepulchro, nempe antequam ejiciat concubinam, & cætera præſtet, quæ ex juſtitiâ, aut charitate præſtare tenetur. De exigendo autem, aut præviam

exe-

executionem pœnitentiæ, aut similiter præviam longi temporis emendationem, prorsus nihil. Potius igitur nobis favet, quàm vobis.

D. R. At non est contentus proposito ejiciendi concubinam, sed vult ut priùs eam à domo pellat.

D. D. Nempe si aliàs promisit, & promissis non stetit.

D. R. Temerè sic interpretaris. Nullum enim verbum est in allegato textu, quod hoc innuat.

D. D. Imò cum maximo fundamento.

D. R. Quale hoc est?

9 *D.D.* Est clarissimum tui ipsius Castoriensis testimonium: sic enim subdit post allegata vorba Villanovæ. *Eamdem legem Confessariis præscripsit S. Franciscus Salesius, ita, scribens in Constitutionibus, & Instructionibus*
,, *Synodalibus, tit.*9. *c.*5. Quandoquidem plu-
,, res Confessarii sese faciles exhibent, ut im-
,, pendant absolutionẽ, ad eam, quam faciunt
,, Pœnitentes pollicitationem se emendandi,
,, occasionẽ proximam deserendi &c. diligens
,, examen instituendum est, an idem in an-
,, teactis Confessionibus jam tum promise-
,, rint: siquidem id polliciti fuerint, nec
,, ta-

,, tamen steterint verbo, non est quòd Con-
,, fessarius Fidem habeat, sed absolutionem
,, differat, donec sint ab occasione sejuncti;
,, & quidem donec aliquo tempore illam non
,, repetentes vixerint.

Audisti, quid dicat tuus Castoriensis? *Eamdem legem Confessariis præscripsit S. Franciscus Salesius*. Ergo sicuti Salesius non vult semper debere differri aut negari absolutionem Pœnitentibus, qui non dum opere impleverunt id ad quod tenentur, ut est occasionem deserere & similia; ita nec Villanova id semper exigit, sed solùm cum promissi fidem fefellerunt, alioquin non *eandem legem uterque præscriberet Confessariis*, ut eos præscribere dicit Castoriensis. Exinde te ipsum, non autem alios tam facilè temeritatis argue.

Sed sequamur Villanovam, qui tandem 10
monet prædictum Pœnitentem, ut rejectus a Confessario solvat sua debita, reconcilietur fratri offenso, & ad Confessarium redeat, & absolvatur. Ergo vult, ut si Pœnitens accedit ad Confessionem tali modo ut prius occasionem domo expulerit, debita persolverit &c. statim absolvatur, nec injungit, ut ante absolutionem exigantur ab eo longi fletus,

mul-

multa jejunia, aut alia hujusmodi, quibus tollantur pravi habitus, & obtineatur remissio peccatorum. Ergo nostram praxim approbat, & recedit a tuo Castoriensi, qui lib. 2. cap. 14. docet, ista exigenda ab hoc Pœnitente antequam absolvatur.

11 *D. R.* Nego id in loco cit. exigi a Castoriensi. Id enim præcisè dicit priscæ Ecclesiæ Patres consuevisse Pœnitentibus injungere *ut laboriosis, & diu continuatis Pœnitentiæ operibus, se Absolutioni præpararent*. Quia *existimabant, ea opera satisfactoria esse necessaria ad culpas delendas, & veniam consequendam; & ut Sacerdos ex illis dignosceret, quos tanquam Divinæ voluntatis interpres absolvere posset*, quod ipsum capite sequenti prosequitur. Id præcisè dicit.

D. D. Admitto, sed quæro, an dum dicit, Patres existimasse, ea opera satisfactoria esse necessaria ad eos fines, putet eos Patres errasse in tali existimatione? non quidem, quandoquidem eos laudat, quòd ea exigerent. Ergo putat, ea verè esse necessaria, alioquin prædicti Patres errassent in eâ opinione, ergo id necessarium putat ad absolutionem, quod non exigit Thomas de Villanova, nec ullus

exi-

exigere potest, nisi qui credit, errare jam universam Ecclesiam, ea non exigentem. Habesne, aliud quod opponas ex Thoma de Villanova? Jam video te aliud non habere.

Pergamus igitur ad ea quæ tuus Doctor affert ex Divo Carolo Borromæo.

D. R. Hunc profectò nobis non eripies, 12 quas enim ille concinnavit Instructiones, Confessariis in suo munere dirigendis, sunt ipsissima nostra praxis, eaque a Sede Apostolica confirmata, dum confirmavit Concilium Mediolanense a D.Carolo celebratum, quo prædictæ Instructiones continentur.

D. D. Est quidem longè accersita ista tua confirmatio. Miror autem, tanti à vobis fieri indirectum & qualecunque Sanctæ Sedis suffragium, a vobis (inquam) qui directa, clara, confirmata, iterum, atque iterum explicata Pontificum decreta, totoque Orbe Christiano recepta, eluditis tamen, aut etiam contemnitis. Sed hoc de more vestro, qui Pontificiam Authoritatem, cum vobis eam favere, quamvis temerè, putatis, in Cœlum attollitis, ut vos etiam ei subesse significetis, vel ut vestræ doctrinæ æstimationem apud bonos Catholicos concilietis. Cùm vero eam vobis

vobis adversari cognoscitis, ungues exeritis; ejusque decreta, sin minus palam, utpote gladio humanæ Potestatis exterriti, clanculum saltem dilaceratis.

13 *D.R.* Ut video magnum tibi negotium facessunt Instructiones Sancti Caroli. Hinc ista bilis exarsit, quam contra nos parùm civiliter vomis: sed ultio & contumelia, honesta defensio non est.

D.D. Brevì videbis, cui negotium facessant istæ Instructiones. Mihi certè faciunt nullum. Scio ab aliquibus demptum aliquid authoritatis illis fuisse, eo quod S. Præsul, initio sui regiminis, adeoque ætate & sapientiâ immaturus, ut ipsi dicebant, eas composuisset. Id ego non afferam, sed illud potius, fuisse illas, si quid rigoris habent aut præseferunt, remedium eo tempore, eisque in regionibus necessarium. Incredibile enim dictu est, quam fœda tunc esset eorum locorum facies. Referam Latinè, quæ Italicè narrat in vita D. Caroli lib. 1. cap. 1. Joannes Petrus Jussanus, describens infelicissimum statum Mediolanensis Diœcesis, cùm vastam illam Ecclesiam gubernandam suscepit Carolus. Id quidem necessarium non est ad has Instructiones

nes a veri rigoris nota vindicandas, ut mox liquidò apparebit; faciam tamen, ut, si speciem aliquam rigoris præseferunt, mirum id omninò non sit; ac desinatis tandem D. Carolum semper obtrudere; has Instructiones, tanquam authenticum pro vobis, & contra nos documentum ostentare, & libros hac super se cudere, quibus per Belgium, & finitimas Provincias, tanquam curru triumphali vecti, plausus colligitis hominum imperitorum; nempe, ut vestram defendatis, sanctissimam D. Caroli doctrinam traducitis per ora hominum, & infamatis. Accipe igitur qui ex Jussano tunc essent illius Gentis mores.

D. R. Jam novi. Jussanum legi. Si hoc defensore indiges, causâ cecidisti.

D. D. Legisti ut cætera, vel si benè, oblitum te ostendis. Hoc ego defensore non egeo, jam monui. Egetis ipsi qui dum legitis, expendere non vultis, quod supra expendendum monui, nempe personas, tempora, loca, quibus quæ legitis, scripta fuere. Audi patienter Me non audis ingratum tibi, sed Jussanum sic dicentem.

Perditissimè vivebant Ecclesiastici, & 14
pessimo exemplo omnibus erant, itaut im-

probitate solâ præcellerent. Vestibus Clericalibus depositis laicales induebant, palam incedebant armati, palam plerique concubinas alebant, ab sui Beneficii domo ac regione procul vivebant, omnemque cultus Divini curam abjecerant. Hinc sacra omnia impiè & sacrilegè tractata, male administrata Sacramenta, quorum,& præsertim Sacramenti Pœnitentiæ, ne formam quidem norant Parochi satis multi, nedum Censuras, Casusque reservatos. Quin eò ignorantiæ & vecordiæ devenerant, ut quamvis mille criminibus essenti onerati, ad Sacramentalem Confessionem subinde non accederent,putantes, se qui aliorum Confessiones audiebant, præcepto Confessionis non astringi. Hæc,aliaque hujusmodi sic statum Clericalem deformaverant, ut esset omnibus contemptui odioque; dicerentque omnes, idem esse velle Clericum fieri, ac velle ad Inferos detrudi. Sed eorum ruina, ruinam Populi trahebat. Is enim omni ope destitutus, quin ad pessima omnia pessimis suorum Superiorum exemplis allectus, vitiosis omnibus cupiditatibus indulgebat, eâ Cælestium rerum oblivione, ut ab animo multorum, omnis Dei non timor solum sublatus,

sed

ſed notitia penitus abraſa videretur. Hinc nullus ferè Sacramentorum uſus, adeo ut multi totos decem, quindecim, & amplius annos, penitus inconfeſſi tranſigerent. Nec deerant, qui quamvis eſſent provectioris ætatis, nunquam ſacram Confeſſionem uſurpaverant, quid ea eſſet, ignorantes. Qui verò ſpeciem aliquam Chriſtianæ pietatis retinebant, ſemel quidem in anno confitebantur, ſed nullo vero ſenſu pietatis, & doloris. Plebejos potiſſimum, tanta Dei, Divinarumque rerum inſcitia habebat, ut nec orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam ſcirent memoriter. Et quidem vix ſe ſigno ſalutis munire didicerant, nedum hujus ſigni myſteria. Dies ſacri inſtituti videbantur ad profana ſpectacula, ludos, choreas, comeſſationes, ac turpia quævis celebranda; loca autem ſacra, ad omnia non ſacra pertractanda, quin ad ſacrilegia perpetranda. Ea ſiquidem perambulabant, veluti publicum forum, choreas in eis ducebant, tanquam in trivio; quin & perſonati homines ſcurrilia in eis peragebant, ut eſt agere Pœnitentem confeſſurum, & ſimulare Sacramentalem Confeſſionem ad illudendum Confeſſario; accedere ad Altare,

& ſub ſpecie offerentis ſuffurari ea quæ erant oblata, aliaque hujuſmodi.

Hæc fere ad verbum Juſſanus. Cum autem tam perditi eſſent ejus Populi mores, & vix non deleta veſtigia ipſa Religionis & Fidei; quid mirum, ſi Sanctus Preſul non ita benignas edidit ſanctiones? Miror, quòd non ediderit ſeveriores, quòd nempe extremis morbis non adhibuerit extrema remedia.

15 *D. R.* Sed ex te didici, hoc remedium non eſſe, & Peccatores benignitate potius, quam ſeveritate à vitiis abſtrahi, & virtuti conciliari. Hinc enim invectam præſentem benignitatem millies dixiſti, tanquam revocandis ad uſum Sacramentorum Peccatoribus magis opportunam. Quid ergo nunc rigore ad id opus fuiſſe dicis? Pugnantia abſque dubio loqueris.

D. D. Loquor veriſſima non confundentibus rerum cauſas. Cùm rigor occaſio, aut cauſa fuit, ut Populi deſperantes, pudorem ac timorem abjicerent, benignitate revocandi ſunt. Sic fuere revocati Populi, quos aliquot, imò multorum Epiſcoporum rigor, à Pœnitentiæ remediis averterat, ut diſput. 2. & 5. oſtendi, & diſp. 11. oſtendam. Cùm verò nimia

nimia benignitas, imo laxitas & ſocordia Parochorum, Rectorumque, fuit cauſa communis licentiæ, ut in illis regionibus evenerat, rigore aliquo, aut ſaltem minori benignitate, quæ ſpeciem aliquam rigoris habeat, opus eſt, nempe in alterum extremum eſt inclinanda, diſciplina, ut poſtea in medio conſiſtat. Sunt ne iſta pugnantia?

Alia etiam ratio D.Carolum movit hanc 16
inire viam; ea fuit, ſuorum Subditorum indoles, ſibi bene perſpecta. Non illa quidem mala eſt, aut nimis aſpera & contumax; imo ad pietatem, & virtutem propenſa, ſed laboris non admodum amica, & largiori luxui dedita: erat igitur fræno duriori retinenda, ne caderet, & ſtimulis acrioribus monenda, urgenda, & perurgenda ad curſum, ut ſaltem incederet. Nec periculum erat, ne Parochi, per eas Inſtructiones evaderent nimis rigidi: non enim eſt illis ab natura ingenium moroſum, tetricum, minutum, illiberale, nimis ſubtiliter religioſum; ſed facile, urbanum, indulgens. Potuit ergo S. Carolus eos tutò ſic inſtruere. Eæ ſiquidem Inſtructiones, quæ videntur non ita benignæ, quæque Lovanienſes fortè facerent rigidos, Mediolanenſem,

Papienſem, Brixianum, Comenſem faciunt ſolùm non nimis benignum.

Dixi, *non ita benignæ*. Si quis enim in laudatis Inſtructionibus rigor apparet, apparens ille eſt, non verus rigor, ſed potius minor benignitas ſub aliquâ non in ſubſtantiâ, ut dici ſolet, ſed in accidentibus, ſignificatione rigoris, ut ex hac prima Inſtructione ex jis, quas recitat idem Caſtorienſis & cap. 17. lib. 2. edit. 2. facilè quiſque conjiciet.

17 *Quoniam autem Chriſtianus omnis, ſi adultus eſt, ſub pœnâ peccati mortalis ſcire debet Articulos omnes Symboli Apoſtolorum, ſaltem quoad ſubſtantiam, inſuper & præcepta Dei, ſanctæque Matris Eccleſiæ univerſa, quæ ſub mortali obligant, & docentur communiter in ſcholis Doctrinæ Chriſtianæ; ſi Confeſſarius Pœnitentem reperiat iſtorum omnium ignarum, non abſolvat, quin primò quoque tempore jis addiſcendis operam daturum ſe promittat. Quanquam, ſi aut à Confeſſario ſuo, eodem vel diverſo, vel ſuâ ipſæ privatim conſcientiâ jam aliàs monitus (quod diligentiſſimè exquiretur) eam adhibere diligentiam neglextrit, quæ pro illius ingenii captu, ad ea diſcenda ſufficiens ſit; non priùs abſolvatur, quàm huic obligationi aliquâ*

ſal-

saltem ex parte fecerit satis. Si verò ea de re nunquam antea monitus fuerit, poterit tum ei gratiam Absolutionis impertiri, eâ tamen præmissâ semper instructione, quam Pœnitenti sufficere consuevit, ut tanto beneficio non sit indignus.

Quid hìc severum adeo? Quid à nostrâ doctrinâ dissonum? Quid non necessarium in eâ regione, ubi, ut audisti, tam supina fuerat rerum omnium pertinentium ad Fidem imperitia?

D. R. Percurre reliquas instructiones, nec tam citò triumphum cane.

D. D. Quin brevitati consulemus magis, & utilitati non minùs, si tu doctrinæ sancti Præsulis peritissimus ea dicas; quæ vestro rigori favent, vel (quod faciliùs) mihi super his interroganti respondeas. Docet ne in his Instructionibus S. Carolus, Peccatoris conversionem esse rem longi temporis, adeoque absolvendum non esse, quem paulo ante suorum criminum pœnituit?

D. R. Id non docet.

D. D. Docet ne, esse obligandum Pœnitentem, ut longo fletu, multisque jejuniis placare Deum curet, antequam absolvatur?

D. R. Id quidem explicitè non docet.

D. D. Nec explicitè, nec implicitè, ut ostendam postea. Docetne non esse eum absolvendum, qui cum solâ Attritione sine Contritione confitetur?

D. R. Id non docet, quia censuit omnibus esse notum.

D. D. Quia censuit non esse necessarium, ut mox patebit. Docetne Pœnitenti esse iniungendas valde graves Pœnitentias, quales Canones Pœnitentiales imponunt?

D. R. Jussit certè Confessarios hos Canones non ignorare.

D. D. Hoc ad alium finem jussit, ut postea dicam. Docetne, Pœnitentes nonnisi peractâ Pœnitentiâ debere absolvi?

D. R. Id non docet unquam.

D. D. Quid ergo docuit doctrinæ vestræ consonum?

D. R. Multa. Aliqua seligam. Docet in primis non esse semper credendum Pœnitenti. *Differenda est* (inquit) *absolutio, donec aliqua correctio appareat, iis Pœnitentibus, quos vero simile est ad eadem peccata semper redituros, quidquid contra affirment*. Audis? *quidquid contra affirment*.

D. D.

D. D. Nec nos docemus esse semper credendum, imò docemus non esse credendum, cùm nulla apparet emendatio. Consule meam disputationem quintam par. 1. & certior fies.

D. R. Docet 2. esse differendam absolutionem jis, *quos verosimile est esse ad eadem peccata redituros*, quæ propositio est opposita doctrinæ vestri Suarii de pœnit. disp. 32. sect. 2. 18

D. D. Id non docet Carolus. Recita fideliter, omisisti verbum *semper*, quos (inquit *vero simile est ad eadem peccata semper esse redituros*, nempe jis, qui aliàs moniti, nec faciunt, nec conantur facere quæ promisere; adeoque nullum dant signum emendationis. Hi sunt qui verosimiliter nunquam emendabuntur, quosque absolvendos negat S. Carolus, & nos cum eo negamus. Perge.

D. R. Docet 3. esse differendam absolutionem, non raro, ut vos docetis, sed passim & sæpissimè, nam vult differri juvenibus otiosis, impudicis, ebriosis, blasphemis, detractoribus, jis qui semel tantum quotannis sub finem Quadragesimæ confitentur &c.

D. D. Nec isthæc absurdissima docet 19
S. Carolus, nempe negandam absolutionem jis

jis distinctis personis otiosis, impuris, ebriosis &c. sed juvenibus, qui omnia isthæc vitia habent. Postquam enim monuit, differendam absolutionem jis quos vero simile est ad eadem peccata semperredituros, subdit (ut videre potes apud tuum Castoriensem) *Cujusmodi sunt præsertim Juvenes otio ut plurimum dediti, qui majorem vitæ suæ partem consumunt in ludis, comessationibus, ebrietatibus & impudicitiis; blasphemi, detractores, turpiloquio addicti, innumerisque id genuis vitiis, qui semel tantum quotannis sub finem Quadragesimæ sese Sacerdoti sistunt ad Confessionem; sicut & universim omnes, qui per plures annos in jisdem peccatis perseverant, abiecto omni correctionis studio.* Sed nolo te amplius audire aut mutilantem textus, aut malè intelligentem. Audi me: Non enim satis mihi est ostendisse doctrinam S. Caroli esse dissonam vestræ, volo etiam ostendere eam esse consonam nostræ.

Docet ergo primò nobiscum, posse eum qui accedit indispositus, ut accedit culpabiliter ignarus mysteriorum Fidei, statim absolvi, si promittat ea addiscere, nec alias fuit monitus, & à Confessario sufficienter tunc instruatur, ut audisti in primâ ejus instru-

ctione paulo ante productâ. Quod ipsum confirmat hac aliâ Instructione. *Advertat tamen Confessarius, si Pœnitentes studii nonnihil à se præstitisse ad eam præparationem, de qua dictum est consequendam, viderit, & observet tamen vel ob eorum ruditatem, vel quid aliud necessariò aliquid deesse jis; ut ipsemet quod deest suppleat suâ industriâ, & ad cognitionem majorem eos adducere allaboret, quod fiet optimè, si peccati turpitudinem & gravitatem ponat eis ob oculos, quippe quod Deo adversetur quàm maximè, ac damnationis æternæ malum peccanti infinitum adferat; atque hoc pacto Pœnitentem inflectere, & sic effingere conetur, ut de universis & singulis peccatis mortalibus, tam acrem animi dolorem persentiat, ut securè eis absolutionis beneficium possit impertiri*. Supponit ergo id evenire, ut Pœnitens ex indispoſito & non converso, brevi sed forti monitione Confessarii convertatur & disponatur, ita ut possit absolvi: quod sanè opponitur directè his quę habet vester Gummarus in suâ meth. pag. 51. *Horum quippe conversioni insufficiens esse solet seria Confessariorum, quanta quanta est monitio, & increpatio, quâ tamen adhibitâ, rem optimo esse loco, non solum istorum Pœnitentium, sed*

& quo-

& quorumdam Confessariorum error est: donum quippe veræ & internæ Conversionis, quod Deus gratuitò dat, quibus dat, non concedi solet tam subitò. Ita Gummarus, arcanorum divinorum scientior, & cordis humani diligentior scrutator quam S. Carolus.

21 Docet secundò nobiscum S. Carolus in iisdem Instructionibus, posse Confessarium absolvere eum qui promittit occasionem abscindere, *si probabiliter sibi persuadeat, posse se Fidem primæ vel secundæ, à Pœnitente sibi promissioni factæ dare*; quamvis non præcesserint longi fletus, nec ulla satisfactio, aut longi temporis emendatio: hæc enim certè non præstitit qui voluntariè fuit cum proxima occasione peccandi.

22 Docet tertiò nobiscum, esse differendam absolutionem *donec aliqua correctio appareat*. Nota *aliqua* non ait, donec correctio, seu plena correctio, sed *aliqua*, nempe sufficere ad hoc ut tutò absolvatur Pœnitens, quamvis relapsus, quòd sit minus relapsus, seù conatus sit non relabi. Tum enim aliqua correctio apparet. Unde.

Docet Quartò & iterum, ad absolvendum eum qui pravum peccati habitum con-

contraxit, nō prærequiri longi tēporis emendationem; itaut non sit per aliquot menses, aut saltem Hebdomadas, in eadem peccata prolapsus: jam enim prærequireretur plena correctio, quam ipse non prærequirit.

Docet quintò nobiscum, non facile negandam aut differendam absolutionem, cùm 23 in recitata paulo ante Instructione volens proponere exemplum aliquod, in quo ea sit neganda, vel differenda, affert illud eorum juvenum qui tot vitiis inquinantur, *& universim eorum, qui per plures annos in iisdem peccatis perseverant, abjecto omni correctionis studio*. Qui casus est absque dubio valde rarus, cùm id genus hominum, aut ad Confessionem non accedat, aut per quam rarò. Verum quidem est, eum monere, iis *præsertim* esse differendam absolutionem, adeoque non iis tantùm. Adhuc tamen satis ostendit, multa requiri ut quis absolvi statim non possit, & non solum *præsertim*, sed, ut paulo ante monui, absolutè requirit, ut nulla in relapso & alias monito correctio appareat, ita ut verosimile sit, ad eadem peccata semper esse redituros, quod est sane perrarum.

Docet sextò nobiscum, in Sacramento 24
suffi-

ſufficere attritionem, nam in Saeramentali Ambroſiano ſub eo titulo, *Quæ in miniſtratione Sacramenti Parochus & Confeſſarius obſervet*, ſic habetur. *Quod ſi Pœnitens nullam Contritionem, nec verò ſaltem Attritionem, aut neque propoſitum abſtinendi in poſterum mortali peccato oſtendet, eum minime Confeſſor abſolvet*, quibus ſanè ſupponitur, non requiri Contritionem ſed ſufficere Attritionem.

25 Demum in Inſtructionibus, quas Italicâ lingua ſcripſit pro Confeſſariis Regularibus ſuæ Diecæſis, quas recitat ipſe Caſtorienſis lib. 2. cap. 18. §. 3. præcipit, *ut ſciant Canones pœnitentiales, moneantque Pœnitentes, quas pœnas juxta diſciplinam priſcæ Eccleſiæ, ſubire ipſi deberent; ut cognoſcentes quantâ erga ſe indulgentiâ nunc agatur, tanto magis crimina, quibus eluendis à priſca Eccleſia tam graves pœnæ ſtatutæ fuerunt, exhorreſcant ac deteſtentur.* Quibus certè nihil improbat præſentem Indulgentiam in pœnitentiis imponendis. Igitur non ſolum nobis favet in omnibus controverſiis quæ inter nos agitantur S. Carolus, ſed favet in iis ipſis Inſtructionibus locisſque, quæ à tuo Caſtorienſi pro ſe contra nos afferuntur. Hinc conjice quam faveat amplius

in

in reliquis, quibus afferendis, ne longior sim, supersedeo: hæc enim abundant ad ostendendum à nostris Partibus stare S. Carolum. Quid inquis ? possum nunc agere triumphum ? sed parco.

Illud autem maxime mirabile est, afferri à tuo Castoriensi in patrocinium sui rigoris 26 duos Franciscos Sanctissimos, Xaverium, & Salesium, quibus vix ulla ætas edidit alios duos indolis suavioris, & benignioris sanctitatis in curandis morbis hominum etiam perditissimorum, ac desperatæ propemodum salutis. Hinc quamvis utrique magnam vitæ maturioris partem exegerint in audiendis hujus etiam generis hominum Confessionibus, memoriæ tamen proditum nunquam fuit, aut illos consuevisse perfectam Contritionem in sacramento exigere, aut Absolutionem differre iis, qui non flevissent diu, qui dolorem suum operibus satisfactoriis non probassent ante absolutionem; qui pravos habitus longâ emendatione non enervassent. Et quidem de Salesio id solum refert idem Castoriensis eo capite 21. §. 6. eum noluisse absolutionem impendi iis, qui versantur in occasione proximâ, si alias moniti, ab ea se mini-

minimè distraxerint, ut promiserant; in quo convenimus. Imò aliqui, aut etiam multi ex nostris, quos refert & sequitur Cardenas in disp. selectis disp. 18. cap. 9. num. 119. sunt Divo Salesio severiores, siquidem nec semel volunt absolui habentem occasionem proximam voluntariam, antequam eam dimittat, ejusque proposito fidendum non esse docent.

27 Divus verò Xaverius, in iis quæ recitantur ex Tursellino, sed melius ex Possino, non loquitur de quovis Pœnitente, gravium culparum reo, sed de quibusdam, aut magis indigentibus, aut magis capacibus; eosque ipsos non vult ad id urgendos, sed suaviter invitandos, persuadendosque, ut *libentes patiantur*, *ut boniconsulant*. Et quid? non quidem per menses aut plures hebdomadas exerceri piis meditationibus & operibus, antequã absolvãtur sed *per duos vel tres dies*. Quod in hoc vestigium rigoris? imò quæ doctrina utilior simul benigniorque? Quin si rigoris id argumentum est, rigidissimi omnium sumus; siquidem quotidie hortamur hujusmodi homines, ut in secessu aliquo, piis meditationibus à S. Ignatio propositis, per

octi-

octiduum saltem vacent, ac diligenti totius vitæ Confessioni se præparent.

Dixi, melius ex Possino haberi germa- 28
nam Sancti viri doctrinam, quàm ex Tursellino, propter rationes, quas affert idem Possinus in novarum S. Francisci Xaverii Epistolarum Indiculo exegetico ad lib. 4. epist. 4. & ad lib. 5. epist. 2. Igitur S. Franciscus Xav. epist. 4. lib. 4. ita scribit ad Gasparem Barzæum Armusiam euntem. *In istis partibus, ubi peccandi magna licentia, pœnitendi rarissimus est usus, Sacræ Confessionis cum à te SVADENDÆ, tum ab aliis exercendæ hanc arbitror rationem optimam. Quem videris velle ex longo exaggeratum prægravatæ conscientiæ onus in tuis auribus deponere, eum fac ADHORTERIS primum, ut biduo triduove in id sumpto, se totum excutiat; inde usque ab ultima pueritiæ recordatione, per omnes ætatum, & occupationum gradus, relegens vestigia vitæ decursæ, & cuncta perperam acta, dicta, cogitata in summam contrahens, ac, si opus est ad memoriæ subsidium, scripto sublegens. Sic paratum postquam audieris, plerumque juverit non continuò absolvere, sed agere cum illo, ut boni consulat per DVOS, TRESVE DIES abducere à curis familia-*

miliaribus animum, & idoneis ad dolorem peccatorum ex amore Dei offensi ciendum, commentationibus, comparari se ad fructum uberiorem è sacramentali Confessione percipiendum. Eo triduo pœnitentem exercebis aliquot meditationibus primæ bebbomadæ mensis ascetici, quarum illi capita edisseres, modum commentandi & orandi trades. SVADEBIS etiam, ut pœnâ quapiam VLTRO susceptâ, puta jejunio aut flagellatione, se ipsum ad veram detestationem criminum intime concipiendam, & per lacrymas etiam prodendam juvet &c. Quid est hìc, quod non sonet purum consilium, & summam benignitatem, & libertatem in Pœnitente?

D. R. Ita quidem, sed illud non advertis quod ait *plerumque prodesse non continuò absolvere*? Igitur ex Xaverio id plerumque faciendum est.

D.D. Male infers. Nō ait Xaverius absolutè plerumque prodesse id facere, sed cū Pœnitentibus ita præparatis. Imò hinc colligo, plerumque non prodesse: Nam si nec semper prodest differre absolutionem his, quos ille secessus perdomuit & præparavit, certè vix unquam proderit eam differre non sic præparatis: omnes autem debere sic præparari non dicit Xaverius,

verius, imò nec ullum ad id teneri, nam solum hortatur, & vult pœnitenti suaderi, non eum cogi, tanquam ad aliquid lege præceptum.

In alia epistola ad eumdem Barzæum, 29
quæ est octava lib.6.apud eumdem Possinum, hanc Sociis proponit rationem reconciliandi firmâ ac stabili pace maritos rixosos cum uxoribus suis. *Viros adoriantur DEXTRÆQUE abductos à negotio, perpellant ad semel purgandam animam Confessione generali, ad quam prius se comparent modico secessu, & meditatione aliquâ. Tum ubi peccata vitæ totius exponentem audierit Sacerdos, SUAVITER adducat, ut LIBENS patiatur differri sibi absolutionem ad dies aliquot, quibus se sacris commentationibus. ac piaculis, tum de vita emendanda seriis deliberationibus exerceat. Sic affecto, & ad totum se Dei obsequio impendendum confirmato, facile nimirum persuadebis, quæ ad pacem domesticam cum uxore stabiliendam pertinent.* Quis autem sic desipiat, ut dicat, Xaverium putasse teneri Confessarium hanc praxim servare cum prædictis maritis, itaut absolvere eos non possit, nisi præmissâ eâ totius anteactę vitę generali Confessione? Ut igitur id proponit

 tan-

tanquam medium voluntarium, & aliquando utile, nunquam tamen pręceptum; ita nec illud differendi prędictis abſolutionem.

30 Demum in alia ad Patrem Herediam, quę eſt lib. 5. nona apud eumdem ſic habet. *Itaque cùm ſub manum venient, qui & egeant, & capaces opis ſint, & alioqui vitæ ſtatum ſat habeant compoſitum, ut iis & LIBEAT; & vacet dare operam excolendo animo, auditis eorum culpis, ipſos jube ſuſtinere per dies aliquot, comparando ſe ad veram deteſtationem peccatorum, ex dolore Dei omnipotentis & ſummè amabilis offenſi. Ad hunc finem præſcribe illis commentationes pias de morte.* Audis ſimiliter ſoli libenti & nulla lege coacto, hanc pręparationem injungi ergo ea non eſt neceſſaria, ut vos dictitatis.

31 *D.* ℟. Saltem, ut id fiat, melius eſt.

D. D. Non quærimus quid melius ſit, ſed quid neceſſarium ſit. Neceſſarium tu eſſe dixiſti diſp. 6. cum Morino, & paulo ante cum Caſtorienſi. Id negamus nos, & nobiſcum Xaverius, qui ſolum hortatur Confeſſarios, ut hortentur aliquando Pœnitentes ad id oneris ſubeundum, non autem cogant reluctantes. Addo, nec tam facilè, ut putas, id

id melius esse, cum non tam facilè concurrant in Pœnitente quatuor illæ conditiones, quas Xaverius requirit, nempe ut *egeat*, ut *capax sit*, ut *libeat*, ut *vacet*.

Post Divos Thomam de Villanova, Borromæum, Xaverium, & Salesium, in- 32
terpositis quibusdam, de quibus satis egimus, affert Castoriensis à te laudatus Episcopos Gallicos, qui approbavere Instructionem S. Caroli: sed cum illæ nobis faveant, his quoque sapientissimis Episcopis gratias agimus, qui in approbata Sancti Caroli doctrinâ, nostram approbavere.

Demum opponit nobis authoritatem In-
nocentii XI. *qui* (inquit) *pravis propensionibus* 33
& consuetudinibus irretitos, frustra in Confessionis Tribunali de vita emendanda admonitos, nisi ex fructibus suam pœnitudinem testatam faciant, haud censet absolutione dignandos. Sed quos nam fructus exigit hìc tuus Castoriensis in Pœnitente mala consuetudine irretito, aut etiam relapso? Interpretare Doctorem tuum, quem legis & perlegis, ut alterum Augustinum. Si fructum exigit alicujus emendationis, seu conatus ad emendationem, admitto doctrinam communem, & sanctam; sed malè

hic affert ut nobis contrariam illius Sanctissimi Pontificis authoritatem. Si verò vult, fructus longæ emendationis, longi fletus, aliorumque hujusmodì laborum, ita ut iis non præcedentibus, absolutio hujusmodi Pœnitentibus impertiri, aut nunquam, aut plerumque non debeat; abutitur authoritate tanti Pontificis ad confirmandos suos rigores.

Nullus igitur ex sanctis viris à Castoriensi productis, præsenti Ecclesiæ benienitati refragatur, ergo nec ullus alius: eam reprobavit: Si enim reprobasset, eum afferre, eoque gloriari non omisisset is Author, qui eos produxit omnes, quos reperire potuit, quosque omittere potius debuisset.



CA-



CALUMNIA IX.

Etiam nunc eadem Benignitas à melioris notæ Theologis, ac Sacerdotibus, ac proindè à meliori Ecclesiæ parte reprobatur.

DISPUTATIO IX.

Doct. Rig. D omninò certum videtur.

Doct. Discr. Unde hæc tanta certitudo?

D. R. Ex oculis ipsis. Quis enim non videt, melioris notæ Theologos vestram praxim non sequi?

D. D. Ecqui sunt isti? Cur parcis nominibus?

D. R. Vivi illi ſunt, traduci per ora veſtra nolunt.

D. D. Nomina ſaltem extinctos, quos agnovimus, aut agnovere Majores noſtri.

D. R. Habes illos, in libris editis recenſitos.

D. D. Nomina librum, ut legere poſſim, & tandem agnoſcere iſtos melioris notæ Theologos.

D. R. Norunt omnes, & legunt.

D. D. Ego forte non legi.

D. R. Legiſti, ſed deſpicis.

1 *D. D.* Intelligo. Caſtorienſem indigitas. Ita quidem. Non paucos ille nominat, totaſque ipſas Synodos recenſet, quas ſibi favere tam verè judicat, quàm verum eſt, ei favere S. Carolum Borromæum. Igitur hæc fuit opinio Caſtorienſis, nempe meliorem Eccleſiæ partem refragari præſenti conſuetudini. Putavit igitur, ab Eccleſia *eam haberi pro abuſu*. Quid enim potiſſimum Eccleſia eſt, niſi melior ejus pars? Id autem eſſe ab Alexandro VIII. poſtea damnatum noſti, ſed inutiliter noſti. Quare excuſationem aliquam habet tuus Caſtorienſis, tum quia antea ſcripſit, tum quia quamvis conſentire videatur,

tur, non est ausus asserere rotundè *consuetudinem modernam haberi ab Ecclesia pro abusu*, ut celeberrimus alter tuæ scholæ Theologus est ausus asserere. Tu verò, qui post notam huic propositioni à Romano Pontifice inustam, adhuc eam censes veram, excusationem nullam habes.

D. R. Unde habes, eam haberi à me ut veram.

D. D. Habeo ex ore tuo. Tu enim ip- 2
se auditâ Propositione, quam volui esse hujus disputationis titulum, exclamasti ingenuè, & quodam naturæ impetu. *Id omninò certum videtur*. Illa autem, aut ipsa est, aut parum differt à Propositione damnatâ. Quare non abs re aliàs dixi, ejurare vos ore damnatos errores, corde tamen retinere. Forte decipior, sed patienter tolera deceptionem meam; & permitte ut ostendam, quàm falsa, & malè concepta fuerit ea vestræ scholæ Propositio nuper damnata: *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum Hominum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet; nihilominus ab Ecclesiâ non habetur pro usu, sed pro abusu*.

D. R.

D. R. Si nihil petis aliud, quàm ut audiam, obſequar.

D. D. Habebo gratias ingentes. Nec abutar patientiâ tuâ.

3 Et primò, conſuetudinem, quâ adminiſtramus Sacramentum Pœnitentiæ malè *modernam* appellat: modernum enim dicimus, quod recens eſt, & ſolius noſtri temporis, non autem antiqui. Quî autem moderna ſit ea conſuetudo, quæ à quinque, & amplius ſeculis cœpit; quæ certè recens non eſt, ut ipſe idem author propoſitionis fatetur dicens eam *à multi temporis diuturnitate confirmari*. Et quidem mirabile ſit, eam recentem, & modernam eſſe, ejus verò confirmationem antiquam.

4 Secundò errat in eo, quòd dicit eam ſuſtentari à plurimorum hominum authoritate. Si iſti plurimi homines authoritatem habent in hac re, Doctores ſunt. Quâ autem ratione plurimi Doctores ſic allucinantur, ut ſuſtentent quod Eccleſia habet pro abuſu? Imo quâ ratione dicuntur homines authoritate prædití qui ſuſtentant pernicioſiſſimum abuſum, & quidem abuſum habitum ut talem, & cognitum ab Eccleſia, adeoque mani-

nife-

nifestum ? Et rursus, quâ ratione Ecclesia tolerat, ut tot homines sustentent abusum ab se cognitum, & in re gravissima, à qua pendet omnium ferè Fidelium adultorum salus, quemque tollere absque dubio posset ? Error quoque in eo est, quod hos plurimos Doctores, sustentatores benignitatis, non vult esse omnes Doctores, imò minorem partem, nam eos opponit Ecclesiæ ipsis contrariæ. Hoc autem est manifestè falsum, ex præcedentibus Disputationibus, & præsertim ex disp. 3. ubi ostendi, omnes Parisienses Doctores nascenti huic consuetudini suffragatos fuisse, occasionem ei dedisse Pontifices erga milites cruce signatos indulgentes ; nullum aut Pontificem, aut Doctorem seculi decimitertii ei jam invalescenti repugnasse, sed potius favisse ; nec unquam memoriæ proditum quod ullus postea sequentium seculorum Pontifex, aut Catholicus Doctor fuerit ei vel minimùm refragatus.

Tertiò tandem errat in eo, quòd consuetudinem tam sanctis Authoribus natam, tam 5
Religiosis, doctisque viris innutritam, ab omnibus per tot sæcula receptam, vocat abusum, & abusum habitum & cognitum ab Ecclesia.

clesia. Rogo enim de qua Ecclesia loquatur? Non de antiqua, tunc enim nondum invecta erat ista consuetudo, nata, ut ipsi dicitis, sæculo decimotertio. Non de eâ hujus sæculi 13. usque ad sęculum 17. ejusque dimidium, quia, ut paulò ante dixi, omnes horum temporum Doctores, omnes Ecclesiæ, istam consuetudinem receperunt, Ecclesia autem nequit habere pro abusu usum quem recipit. Loquitur ergo de Ecclesiâ, quæ fuit hoc posteriori dimidio sæculi 17. Sed Ecclesia judicans de usibus Sacramentorum, conflatur Pontificibus & Doctoribus. Si ergo isti habent hanc consuetudinem pro abusu, proferat, qui sint isti? Summos Pontifices proferre non potest, nam Alexander VII. & Innocentius XI. damnarunt quidem aliquas Propositiones laxas, sed non præsentem Ecclesiæ consuetudinem in administrando hoc Sacramento. Hinc illis damnatis, manet eadem quæ erat antea Ecclesiæ consuetudo, circa administrationem hujus Sacramenti. *Ecclesiæ* (inquam) non enim hæc communiter sequebatur damnatas illas opiniones, cùm errare ipsa non possit. Et re vera nulla ex damnatis illis propositionibus pertinet ad præsentem Ecclesiæ consuetudinem,

nem, & benignitatem, quam hic propugnamus. At è contra, Alexander VIII. damnavit expresſè ſententias huic conſuetudini repugnantes quæ ſunt ex damnatis 7. 9. 10. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 20. 21. 22. & 23. Reliqui autem Summi Pontifices potius ei favent, quàm adverſentur. Nec proferre poteſt minores Pontifices, aut privatos Doctores magni nominis. Vidimus enim quos proferat Caſtorienſis, nempe aut ſibi verè contrarios, aut non fautores, aut nec Doctos, aut errantes.

Dicam ego quos pro ſe proferre poſſit. 6
Poteſt primò proferre Petrum de Oſmâ, qui longè ante hæc noſtra tempora, docuit, *Non peractâ Pœnitentiâ Pœnitentes abſolvi non debere*, quam propoſitionem damnavit Sixtus IV. Proferre poteſt 2. Kemnitium notæ impietatis Hæreticum, qui in examine Concilii Tridentini ſub titulo *de Indulg.* poſtquam diligenter inveſtigavit *quales fuerint Canonicæ ſatisfactiones, & qui pro quotidianis delictis Canones Pœnitentiales ex Concilio Ancyrano, & Nicæno, ex Burchardo, & Gratiano*, dicit, *In hoc laborandum fuiſſe, ut utiliſſima veteris Eccleſiæ diſciplina, quæ hiſce profligatis temporibus ſummo-*

summopere necessaria esset Ecclesiæ, sine conscientiarum laqueis restitueretur. Et sub titulo *de satisfact.* queritur, quòd ablegatâ antiquâ consuetudine satisfaciendi ante absolutionem, coeptum fuerit satisfacere post ipsam. *Veteris Ecclesiæ satisfactiones* (inquit) *imponebantur, & exolvebantur ante Absolutionem, sed pro dolor! postea collapsis vetustis illis satisfactionis ritibus, quorum impletio ante satisfactionem flagitabatur, ortum fuit aliud genus satisfactionum*. Proferre potest 4. impium Apostatam & schismaticum Marcum Antonium de Dominis, qui in lib. de Repub. Christianâ, collectis omnibus quæ pertinent ad veteris Pœnitentiæ disciplinam, allatisque omnibus hac super re sententiis Patrum, Cypriani, Ambrosii, & Augustini, quibus valdè significanter exprimitur, quàm difficilè Peccator convertatur ad Deum, & veniam suorum criminum à læso Numine obtineat, invehitur eodem ardore quo Kemnitius, vosque ipsi, in præsentem consuetudinem absolvendi Pœnitentem ante præstitam ab eo satisfactionem, quod olim abhorruere Patres (inquit is præclarus Doctor cap. 7.) soliti anteà exercere, & probare conversos, *Ut Ecclesia, Pœnitentia*

tiâ illa externa , interna Pœnitentiæ adeo ad remissionem peccati coram Deo necessariæ notitiam colligat ; & agnoscat , quando rectè & legitimè solvendus sit Pœnitens , & ad humilitatem peccatoris , & consequenter ad dispositionem pro abtinenda vera compunctione, tum etiam ad Ecclesiæ ædificationem, quas ipsas rationes vos afferre soletis . Demum proferre potest Jansenistas omnes . Sed quis nisi manifestæ hæresis reus, dicat , Ecclesiam ab his solis conflari ? Falsum est igitur , modernam consuetudinem haberi ab Ecclesia pro abusu .

Cæterum tantum abest , ut melioris notæ Theologi damnarint unquam præsentem Ecclesiæ benignitatem , ut qui Sanctissimi simul doctissimique fuere , eam propugnarint . Summa absque dubio probitate ac doctrina , præ cæteris floruere ex antiquis Halensis , Albertus Magnus, S. Raymundus, D. Thomas, D. Bonaventura , S. Antoninus, aliique multi , qui hos præcipue duos Sanctissimos Doctissimosque Ordines Religiosos illustrarunt ; at hos ipsos ab omni rigore penitus abhorruisse , patet ex dictis disp. 4. , & ex eorum præclarissimis quæ reliquere doctrinæ suæ monumentis . 7

In-

8 Inter Recentiores verò mei Ordinis (ut omittam aliorum Ordinum ſatis multos) aut primus, aut inter primos eſt abſque dubio Franciſcus Suarius; is autem ipſe fuit in his præſertim, quæ pertinent ad hoc Sacramentum, amantiſſimus benignitatis, ſequutus fere in omnibus ducem tutiſſimum D. Thomam, ut breviter oſtendo.

Docuit 1. Suarius conſtantiſſime tom. 4. in 3. par. diſp. 20. ſect. 1., & alibi, Attritionem in hoc Sacramento ſufficere, quod ipſum docuit S. Thomas in 4. d. 17. q. 3. art. 5. q. 1. & d. 18. q. 1. art. 3. q. 1. ubi in hoc æquiparat hoc Sacramentum Baptiſmo. Et d. 22. q. 2. art. 1. queſt. 3. & d. 24. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 1. ad 3. Et Opuſc. 22. c. 2. ad 7. & expreſſe in 3. part. queſt. 80. art. 4. ad 2. Hinc Thomiſtæ idipſum communiter docent, ut, Deo favente, alibi oſtendam. Docuit 2. tom. cit. diſp. 15. ſect. 5. & diſp. 35. ſect. 3. cum D. Thom. in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 1. ad 2. & quæſt. 4. non teneri Peccatorem ſtatim poſt peccatum conteri, aut confiteri. Docuit 3. diſp. 22. ſect. 3. debere quidem in Confeſſione explicari circumſtantias notabiliter aggravantes, in quo fuit benignior, quàm S. Thomas

mas, ita tamen hoc docuit, ut docuerit esse quoque probabilem oppositam sententiam. Docuit 4. disp. 32. sect. 2. cum D. Thoma Quodlib. 1. art. 12. & in 4. disp. 17. quæst. 3. quæstiunc. 5. ad 2. debere Confessarium credere Pœnitenti, vel dicat contra se, vel pro se; subintellige nisi sibi contradicat, ut postea dicetur. Docet 5. ibidem cum omnibus, non oportere, ut Confessor volens absolvere, judicet futurum, ut Pœnitens non relabatur. Docuit 6. ibidem, quod postea docuit S. Franciscus Salesius, ut disp. præced. ostendi, *non semper debere Confessorem differre absolutionem Pœnitenti, qui antea non satisfecit obligationi suæ*; sed aliquando, *præsertim cum iterum atque iterum implere promisit, neque implevit*. Docuit 6. disp. 38. sect. 6. cum D. Thom. dist. 14. qu. 1. art. 5. quæstiunc. 1. ad 1. & dist. 17. quæst. 3. art. 4. quæstiunc. 4. ad 4. *propter peccata occulta, non debere imponi Pœnitentias publicas*. Addit sect. 5. nec deberi, cùm publicè quis peccavit ad Pœnitentiam publicam facile obligari; sed servatis servandis, quæ ibi proponit. Docet 7. ibid. sect. 4. loquendo de veteris Ecclesiæ disciplinâ in imponendis Pœnitentiis, falsum esse quod septennis Pœni-

tentia, ut passim à vobis dicitur, imponeretur pro singulis mortalibus, quodque pœnitentiis illis Canonicis, punirentur etiam delicta non graviora. Nec constare quod illæ non pertinerent sæpe ad forum externum potius, quam internum. Demum si pertinebant ad forum internum *datum semper fuiße locum arbitrio Confeßoris*, adeoque eos Canones *solum fuiße quasi Regulam directivam, ut illam Confeßores sequerentur, quantum expedire censerent*. Et rursus, priscam illã aut legẽ, aut cõsuetudinẽ, *antiquatam nunc eße*; totumque hoc judicium taxandi Pœnitentias, relictum esse prudenti arbitrio Sacerdotis. Docuit 8. ibidem, debere quidem Confessorem, considerata gravitate peccatorum, & dispositione Pœnitentis, servataque ratione justitiæ, proportionatam satisfactionem imponere, ut colligitur ex Trid. sess. 14. cap. 8. *Poße tamen ex rationabili causa* (*ut docet S. Thom. in addit. qu.* 18. *art.* 4. *& alii communiter*) *propter impotentiam, vel fragilitatem Pœnitentis, dissimulare, & leviorem satisfactionem imponere; monendo Pœnitentem, illam non eße sufficientem pœnam, sed propter ejus indispositionem, cum illo benigniùs agi; ne fortè Pœnitens, ex levi-*

levitate pœnæ occasionem sumat peccandi, & ut fortasse moveatur ad alias voluntarias satisfa-ctiones assumendas. Illudque præcipuè debere attendere Confessorem, ut satisfactionem imponat accommodatam curationi, & præservationi à peccatis; in quo oportet ut integritatem, & severitatem habeat. Quod si in hac parte sufficienter Peccatori provideat, quanquam in castigatione remissiùs agat, nunquam graviter erraturum. Et ratio est (inquit) *quia in hoc Sacramento, magis intenditur salus Pœnitentis, & ejus emendatio, quàm satisfactio pro pœna* (quamvis utrumque intendi debeat ex Trid.) *Si autem gravior satisfactio imponatur, quàm fragilitas, vel conditio Pœnitentis patiatur, majori periculo exponitur salus ejus, quàm si aliquid de pœna remittatur* Quod confirmat, *quia hoc etiam in majorem gloriam Dei cedit, qui potissimum vult curationem Peccatoris; & aliàs causa Dei semper manet integra, quia si hìc peccator plenè non satisfecerit, in Purgatorio solvet usque ad novissimum quadrantem*. Quam doctrinam iterum postea confirmat ex Patribus. Docuit 9. ibidem sect. 3. ex S. Thom. quodlib. 3, art. 28. *non semper teneri Confessorem imponere Pœnitentiam per modum præcepti, sed posse interdum,*

 aut

aut solum dare consilium, ut faciat, vel applicare Pœnitentiam aut partem, aut totam, si Pœnitens velit illam assumere, sub illa forma, Si hoc feceris, serviat tibi in satisfactionem, nam (inquit) *cum hæc satisfactio medicinalis sit, debet accommodari dispositioni Pœnitentis*. Docuit 10. ibidem sect. 6. cum D. Thom. quodlib. 3. art. 28. non oportere ad hoc, ut aliquid elevetur ad vim Pœnitentiæ Sacramentalis, quod sit aliquod opus particulare determinatum à Confessore, sed posse hanc elevationem fieri per eam clausulam generalem *Quidquid boni feceris, & mali sustinderis*.

9 Hæc fuit circa hoc Sacramentum benignitas Suarii; nempe hominis, ut dicebam, doctrina, & moribus præstantissimi. Summà illum doctrinà ornatum fuisse sciunt omnes, non omnes forte sciunt, summa illum virtute præditum fuisse. Igitur operę pretium fecero, si id ostendam. Est enim nimis necessarium, factis ipsis quorundam insipientiam redarguere, qui putant, Theologos benignos esse homines cupidos, ambitiosos, adulatores, venales, hostes disciplinæ, Crucis Christi inimicos, & sui solùm amantes. An hujusmodi fuerit Suarius, de quo agimus (ut omittam

Les-

Lessium aliosque non minus benignos, & summa similiter doctrina, ac probitate insignes) intelliges ex his, quæ habet Philippus Alegambe in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu, ejus vitam in hanc summam redigens.

Franciscus Suarez, Natione Hispanus, 10
patriâ Granatensis, nobilibus parentibus natus die 5. Janvarii ann. 1548. primâ ætate vixdum exacta, annum agens 17. Salmanticæ, ubi tertium jam in Jure discendo curriculum agebat, Deo se in Societate sacravit. Nondum exacto Tyrocinii biennio, Philosophiæ cursum iniit; in quo, neque condiscipulis eminere visus, neque mediocris ingenii limites transilire. Ipse sui pertesus, pigensque profectus exigui, enixè flagitare, ut se tandem ab iis studiis, quibus impar sentiebat ingenium, ne operam perderet, abdicarent. Verum Martinus Guterrius raræ admodum sanctimoniæ vir, qui Collegium Salmanticense regebat, eum bono jussit esse animo, & studia persequi; ejus olim operá mirificè Ecclesiam Dei illustratum, & exornatum iri Societatem. Cui cum acquievisset, subita lux oborta sopitæ menti erupit in flammam, quæ

rem postea Christianam clarissimis doctrinæ radiis perfudit, postquam per omnes disciplinarum humanarum, atque divinarum gradus, ad culmen sapientiæ ascendit. Philosophicas scientias publicè docuit Segobiæ; Theologicas, Pinciæ, Romæ, Compluti, Salmanticæ, per annos complures doctissimè professus est, donec Philippi II. Hispaniarum Regis accitu, primam Cathedram Conimbricæ jussus est occupare, Academiâ eum gratiæ loco a Rege postulante. Simul verò atque se explicare cœpit admirabilis viri eruditio, atque doctrina, & in tanto publici plausus splendore, par morum gravitas, atque facilitas, verborum modestia, animi submissio, incredibile dictu est, quantum attraxerit omnium animos, quantumque sui admiratione defixerit. Itaut multi Conimbricam iter flecterent, ut *magnum illum* (sic ajebant) *Suarium*, *hujus ætatis prodigium & Oraculum* coram viderent. ..... Nec verò minora Suarium, quàm Literarum, decorant ornamenta virtutum. Sæpe a multis vocatum in dubium est, doctiorne esset, an Sanctior. In tanto literarum famæ fastigio, adeo sibi nihil arrogabat, ut se infra omnes demitteret, & nullis se functionibus,

quam

quam culinę abjectiſſimis, aptiorem fateretur. Vitabat hominum congreſſus, ne in ſuas laudes, quod aliter vitare non poterat, impingeret: &, quod forte in illo ſummæ humilitatis videri poteſt, ſæpe diſcipulos ſuos in rebus conſulebat, libros iis, commentarioſque recognoſcendos tradere, & ſi quid in eis cenſurâ dignum animadverterent, ſumma facilitate mutare ſolitus. Sui contempor honoris, ſervantiſſimus erat alieni. Nullius ingenium famamque deprimere: nulla verborum illi inter diſputandum acrimonia, nullus aculeus. Nihil, ut falſum abſurdumque, quod contra ſe adferretur, damnabat. Mira fuit ejus in cibo potuque abſtinentia. Tres per hebdomadam dies ſeverè tolerabat; quamquam ſi quis eum quotidie jejunaſſe affirmet, veritatis fines haud præteribit; nam ſumpto ad meridiem cibo perexiguo aut nullo, prandium differebat in noctem: id autem, cùm largius ac ſplendidius erat, libræ pondus non exceſſiſſet. Ad hæc ſingulis in ſe diebus, immaniter ſęviebat flagris æneo filo intextis. Lecto utebatur ad ſomnum ſolito duriore; quin & noctes ſępe ducebat inſomnes, aut abſque linteamine defeſſa membra quieti

componebat. Studium Orationis frequentissimum in eo extitit, & flagrantissimum, quod nullus unquam literarum, aut aliorum negotiorum tumultus interturbaret. Affirmabat interdum, si è duabus altera necessitas imponeretur, vel solitam ritu societatis orandi horam, vel quæsitam tot annorum labore scientiam amittendi, æquiori laturum animo, hujus quàm illius jacturam. Addebat semihoram mane penso communi precationis, & vespere horam integram. Interdiu si quis incidisset nodus in studiis, confugium habebat orationis ad Deum pro ejus explicatione: quæ si esset abstrusior, Deiparam quoque Virginem consulebat. Accidit aliquando, ut altissima Contemplatione defixus, nullo excitantium strepitu ad se revocari posset, utque duos ab humo cubitos sublimis, splendidissimos lucis radios, a Christi pendentis effigie in se vibratos, toto vultu ac pectore exciperet. Pietas ejus in Deiparam ardentissimo quodam scintillabat affectu. Diebus illi dicatis, duas ipsas ante Sacrum horas, illius colloquio frui solebat, cui uni referebat acceptos, felices in literis successus. Primus ipse, de cumulatâ supra omnes simul Cælites reliquos Deiparæ glo-

gloria, ſententiam ſparſit in vulgus hortatu Martini Guterrii, viri in ejuſdem Virginis gloriam effuſiſſimi, cui eadem facta ſpectabilis, gratias egit propter operam ſui cauſa egregie collocatam. Erga Euchariſtiam Sacroſanctam, Religione quoque precipuâ fuit. Negabat, aliam ſibi horam in vitâ pleniorem eſſe ſolatii, & voluptatis eâ, quâ Sacris operabatur. Hinc illi puritas animi, quam toto vitæ tempore tenuit illibatam. Demum ætate gravis Olyſſipone decubuit, cùm gliſcentem inter Regios Senatores, & Pontificis Legatum controverſiam ſumma felicitate tranquillaſſet, ob quam rem Paulus V. Pontifex Maximus, propriis illi Literis gratias egit. Morbo ejus univerſa Civitas viſa eſt ægrotare; adeo mærebant omnes unius causâ. Solus ipſe hilaris, atque animi alacer, ingeminabat identidem illa verba, *Expectans expectavi Dominum*, *Quàm dilecta Tabernacula tua Domine*. Inter quas voces, animo collabente defecit, mortuo ſimilis. Paulò poſt ſibi redditus, ac Cœleſti gaudio delibutus. *Non putabam*, inquit, *tam ſuave eſse, tam dulce mori*. Tandem Sacramentis ſuſceptis moritur an. Chriſti 1617. ætatis ferè 70.

Hæc

Hæc fuit Suarii, Doctoris nihil rigidi, præsentisque Ecclesiæ benignitatis acerrimi propugnatoris vita, is exitus. Non igitur nostra benignitas cupiditas est, non ambitio, non adulatio, non amor libertatis, non odium disciplinæ; sed humanæ infirmitatis justa æstimatio, sed commiseratio, sed Charitas, seu Charitatis filia prænobilis, conciliatrix virtutum, venatrix animarum, perditorum salus. E contra vestra severitas virtus non est, sed aut humor quidam capitis tetricosi, suspiciosus timor, ardor biliosus, aut potius subtilis ambitio, novandi cupiditas, perturbatio disciplinæ, Ecclesiæ contemptus, ex errore nascens, & in alios errores, in schismata tandem erumpens. Id satis ostendit exitus multorum ex vestris, sed ejus præsertim, ut cæteros taceam, quem alias nominavi, vestræ scholæ doctorem primarium, authorem libri *de freq. comm.* Rigorem ille, ut nosti, adamavit in primis, hinc novandi amor, hinc ambitio quædam censoria, hinc turbæ, hinc errores varii, hinc contumacia, tandem schisma manifestum. Ejus enim aliquot Propositiones (ut bene nosti) proscribere coacta fuit sacra Facultas Parisiensis, pro eo,

quem

quem profitetur Fidei candore. *Cum autem eadem optaret* (utor verbis ejusdem Facultatis in decreto anni 1656. confirmato in ultima deliberatione adversus libellum, cui titulus est *Cas de Cosçience*), *& ex animo optaret prædicti Magistri Antonii Arnaul damnatâ doctrinâ, personam servari, quippe sibi carissimam, tanquam filium matri. Eam in rem sæpe ipsum per amicos hortata est, ut veniret ad comitia, Matri se subjiceret, ejuraretque falsam & PESTILENTEM doctrinam, idem cum ea sentiret, & unanimis, atque uno cum ea corde & ore, honorificaret Deum, & Patrem Domini nostri Jesu Christi. Verum non modo amantissimæ Parentis suæ consilia, & hortamenta contempsit, sed etiam per Apparitorem Regium, eidem facultati significavit, se pro irrito, ac nullo habere, quidquid ipsa in re præsenti egisset, acturaque esset.* Quare eadem facultas ipsum è corpore suo justissimè resecuit.

Is fuit exitus hujus rigidi Doctoris, quem videbatur adurere zelus domus Dei, & amor restituendi antiquam in Ecclesia disciplinam. Utinam illum non sequantur alii modò. Utinam etiam non progrediantur ulterius ex confirmata jam multi temporis adver-

versus non suorum tantum studiorum Parentem, sed Matrem communem Romanam Sedem contumaciâ. Et fuit, eritque qui hos appellet melioris notæ Theologos, eosque esse dicat veram, Romanam, & Catholicam Ecclesiam, quâ moderna consuetudo administrandi Sacramentum Pœnitentiæ, quamvis tot Pontificum, tot Theologorum tot sæculorum authoritate sustentata, & confirmata, habeatur pro abusu? Quis non exhorrescat? Quis est ad hæc animi tui sensus?

D. R. Parum abest quin desciscam ad vos.

D. D. Non id desciscere est, sed redire, sed resipiscere ab erroribus suis.

D. R. Ex errore saltem voluntatis haud quaquam ad eorum partes transivi, sed ex quadam animi persuasione. Putavi non posse ex vestra benignitate post damnatas ab Innocentio XI. propositiones, tutò administrari Sacramentum Pœnitentiæ. Præcipuæ enim nostræ Controversiæ versantur circa hujus Sacramenti valorem, circa quem tutiores opiniones sequi presertim post prædictam damnationem debemus. Nostræ autem opiniones,

nes, fortè veræ non sunt, tutiores certò sunt. Quis enim neget, tutius esse accedere ad Sacramentum contritum, diù præparatum, probatumque, & sic dereliquis? ergo has sequi debemus. Hæc me persuasio tenuit, nec deserit penitus: non enim adhuc, quamvis tam multa audierim, video facilem & expeditam hujus argumenti solutionem.

D. D. Id ergo in gratiam tui futuræ disputationis decimæ argumentum & labor esto.



CA-



CALUMNIA X.

Præsens benignitas in administrando Sacramento Pœnitentiæ non est satis tuta, adeoque Sacramento injuriosa.

DISPUTATIO X.

Doct. Discr.  Rgumentum quod in fine præcedentis disputationis proposuisti, petebatur (si bene memini) ex eo, quòd vestræ sententiæ circa hujus sacramenti Administrationem tutissimæ sunt in praxi, quidquid sit, de earum veritate, secus autem nostræ; unde sequi videtur nostram benignitatem esse sacramento injuriosam,

ſam, adeoque ſubjectam cenſuræ Innocentii XI. Quod autem id ſequatur, in hunc modum probare ſoletis. Experire, an rem tuam fideliter agam, nec diſſimulem difficultatem.

Ea benignitas eſt ſacramento injurioſa, 1
quæ ipſum exponit periculo nullitatis, quod evitari poteſt, & debet. Sed noſtra benignitas id facit. Ex ea enim adminiſtratur Sacramentum Pœnitentiæ, cùm dubitatur, an adſit materia ad illud neceſſaria, qualis eſt verus dolor, verumque propoſitum, idque fit etiam cùm nulla neceſſitas cogit, cùm nempe poteſt procurari, & obtineri materia certa; quod probatur afferendo varios caſus, in quibus ſine ullâ neceſſitate ex regulis noſtræ benignitatis abſolvitur Pœnitens, cùm dubia eſt ejus diſpoſitio. Primus eſt cum quis habet ſolam Attritionem. Secundus eſt cùm accedit ad Confeſſionem ſine vero dolore, & propoſito, & poſtea admonitus à Confeſſario proponente motiva doloris, commovetur, & obteſtatur ſe verè dolere, & proponere. Tertius eſt cùm quis peccandi conſuetudine implicitus accedit ad Confeſſionem, nec aliquot ſaltem hebdomadis antequam ad Confeſſionem accederet, operibus Pœnitentiæ vacavit.

cavit. Quartus est cùm Pœnitens est relapsus, nec similiter se diu ante Confessionem continuit, & sui relapsus Pœnitentiam egit. Quintus est cùm quis peccatum præsertim ex gravioribus commisit, nec antequam accederet ad Confitendum, fletibus & jejuniis Deum propitium sibi reddere curavit. Sextus est, cum Pœnitens recusat longam & asperam Pœnitentiam quamvis proportionatam culpis commissis, imò longe minorem eâ quam vetus Ecclesia imponebat. Septimus est cum Confessor non habet aliud signum veræ dispositionis in Pœnitente, quàm dictum ipsius, asserentis se verè dolore. In his omnibus aliisque hujusmodi casibus, aut valde probabile est quòd Pœnitens non habeat dolorem, & propositum sufficiens, aut saltem est valde dubium; & tamen in his casibus, ex nostræ benignitatis regulis, absolvi Pœnitens solet sine ullà necessitate, cùm posset Absolutio differri. Ergo ex nostra benignitate administratur hoc sacramentum sine ullâ necessitate in materia dubia, aut non satis certâ, adeoque cum periculo nullitatis, quod sanè est sacramento injuriosum, & contra virtutem Religionis, ex qua debent sancta sanctè tra-

ctari

ctari propter quam rationem, damnata à prædicto Pontifice fuit ea Propositio, quæ prima est in ordine damnatarum. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet Lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententiâ probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis, aut Episcopalis.* Proposui ut arbitror quidquid in nostram sententiam solidè, saltem apparenter, proponi potest.

D. R. Ita quidem, & clarissimè.

D. D. Spero, eadem me claritate responsurum, & ideo.

Notandum est primò, totum hoc argumentum retorqueri in vestros Doctores asserentes, requiri ad sacr. Pœnitentiæ contritionem verè talem, & simul absolventes eos, qui 2
non habent contritionem intensissimam, imo nec intensam, quamvis ad substantiam, & essentiam contritionis verè talis requiri intentionem aut absolutè, aut comparativè maximam docuerit Adrianus in 4.qu. 2.de pœnit. Petrus Soto lect. 14. & 15. de pœnit. aliique allegati à Suario to. 4. in 3. p. disp. 4. sect. 4.

Qui Doctores requirentes saltem aliquam intensionem in tali actu habent longè majorem authoritatem, quam habeant vestri Doctores. Si ergo horum sententia probabilis est, ac tutior, ac proinde sola admittenda in praxi, à fortiori talis erit sententia prædictorum. Errant ergo vestri Doctores dum eam non sequuntur in praxi.

3 Notandum est secundò, non requiri, etiam loquendo de iis quæ pertinent ad valorem cujusvis Sacramenti, ut simus ita moraliter certi, ut non possimus moraliter esse magis certi. Nam absque dubio sum moraliter certior, quod Pœnitens habeat dolorem sufficientem, si habeat dolorem valde intensum, testatum lacrymis, & præviis operibus severissimæ Pœnitentiæ plurium annorum, nec tamen vestri Doctores hunc dolorem requirunt.

4 Notandum est tertiò, ad Sacramenti Pœnitentiæ tutissimam administrationem sufficere, ut monui disp. 5. p. 1. quod Confessor prudenter judicet, Pœnitentem esse dispositum, quod judicium potest appellari certitudo quædam practica, quatenus Confessarius habens tale judicium, debet absolvere Pœniten-

tentem, ac ſi eſſet certus. Quòd autem id ſufficiat, probatur ex eo, quod majorem certitudinem non requirit communis Eccleſiæ praxis, & hoc modo viri etiam ſanctiſſimi hoc Sacramentum adminiſtrant: non enim fere ſemper abſolutionem negant, ut facere deberent, ſi id non ſufficeret, cum ferè ſemper habeant ſolum judicium prudens de diſpoſitione Pœnitentis, nempe innixum ejus dicto, aliiſque ſignis fallibilibus. Quin veſtri ipſi Doctores, exceptis prædictis caſibus, Pœnitentem ſtatim abſolvunt, dum aut explicitè aut implicitè ipſo modo confitendi teſtatur, ſe verè dolere, & proponere. Certum autem eſt, quòd ex hac atteſtatione Pœnitentis,non oritur niſi judicium fallibile; cùm qui ſic teſtatur, non ſolùm fallere Confeſſarium poſſit, & fallat aliquando, ſed falli ipſe poſſit & fortè fallatur putans ſe habere verum dolorem, & propoſitum, cùm neutrum habet. Hinc benè Cardenas in ſuâ Criſi ſuper propoſitiones ab Innocentio XI. damnatas diſ- 5
ſert. 2. cap. 3. num. 25. *Eſt impoſſibile plerumque, quod Confeſſarius habeat cognitionem pluſquam probabilem de legitima diſpoſitione Pœnitentis; cùm ea cognitio nitatur di-*

cto Pœnitentis, aut aliis signis externis fallibilibus. Unde infert, eam sufficere, & confirmat ex prædicto absurdo, quod nempe si ea non sufficeret, ferè nunquam posset quis absolvi, nisi in mortis articulo.

Et confirmatur authoritate Theologo-
6 rum antiquorum, recentiorumque, qui in tractatibus moralibus, quos nobis reliquere, communi consensu non solùm docent aut supponunt, sufficere hoc judicium prudens, sed (quod maximè notandum est) supponunt hoc judicium esse prudens, dum innititur dicto Pœnitentis. Omnes enim expresſè docent, ei esse credendum, credendum autem illi non esset, nisi prudenter ei crederetur. S. Thom. in 4. dist. 17. qu. 3. quæstiun. 5. ad 2. loquens de cognitione, qua Confessarius debet cognoscere Pœnitentis dispositionem sic habet. *Quantum ad hanc cognitionem, non potest majorem certitudinem accipere, quàm ut subdito credat, quia hoc est ad subveniendum conscientiæ ipsius; unde in foro Confessionis, creditur homini pro se, & contra se*. Rursus quodlib. 1. a. 12. *Respondeo dicendum, quod in foro Judiciali creditur homini non pro se, in foro autem Pœnitentiæ creditur homini pro se, & contra se.*

Et

Et iterum ad 2. monet Pastorem debere extra Confessionem diligenter inquirere de subdito, *sed per Confessionem non potest diligentiùs scrutari, sed oportet, quod credat ea, quæ sibi à subdito dicuntur*. D. Thomam sequuntur Turcecrem. cap. *Quem pœnitet*. dist. 1. num. 18. Fumus in Armilla verb. *Absolutio* num. 30. Tabiena ibidem qu. 24. num. 45. & reliqui communiter, unde Leander à Murcia in disquis. 1. in 1. 2. disputation. 1. Resolut. 10. lib. 2. *Pœnitenti Fides habenda est de vero proposito emendæ, sicuti de aliis, quæ contra se, & pro se dicit, ut notat D. Thom. opusc. 26. a. 6. & communier Doctores*. Nec ullum legi qui contrarium docuerit exceptis vestris Doctoribus.

D. R. Nec isti id negant in universum,
sed limitant, dicendo, credendum quidem 7
Reo esse in hoc foro, sed cum meretur Fidem. Negant autem mereri fidem præsertim eum qui, non sublato pravo habitu, vel post relapsum, dicit se non peccaturum amplius, nam pravus habitur pertrahet eum ad novum peccatum, nec meretur fidem qui relabendo semel & iterum fefellit. Et quidem etiam vos cum totâ vestrâ benignitate adhuc dicitis esse

aliquando differendam absolutionem Pœnitenti, quamvis testanti se esse dispositum. Ergo nec vos putatis, esse semper credendum Reo in hoc foro.

D. D. Id nihil infirmat argumentum meum. Nam quidquid sit de hoc, an semper omnino sit credendum Reo in hoc foro, de quo postea dicam; illud est certum, quod non negatis, nempe credendum esse Reo in hoc foro cum meretur fidem. At cùm Reus meretur fidem, ejus testimonium plerumque fundat solum iudicium prudens & probabile Ergo hoc judicium sufficit, nec requiritur alia major certitudo.

8 Cæterum in hoc foro Reus semper meretur fidem, dum seriò dicit, ideſt dum ita dicit, ut sibi non contradicat. Nam qui dicit se dolere & proponere, & simul ex. gr. non vult deserere occasionem proximam voluntariam, aut alia facere, quæ debet, jam sibi contradicit, adeoque non dicit seriò, seù cognoscens id quod dicit, quod non solet evenire. Et ideo Doctores qui respiciunt casus communitas contingentes, absolutè pronunciant, esse in hoc foro credendum Reo, dicenti pro se, & contra se.

Id-

Idque verum est, etiam dum Pœnitens habet pravum habitum, aut est relapsus, ut mox dicam. Nec his differimus aliquando Absolutionem, quia eis seriò dicentibus non credamus, esse verè dispositos, sed quià ea dilatio aliquando est necessaria, aut utilior Pœnitenti, ut emendetur, juxta ea quæ dixi disp. 5. par. 1. versus finem. Hinc optimè Innocentius XI. damnavit eam Propositionem, quâ dicebatur, non esse differendam Absolutionem, modò Pœnitens *qui habet consuetudinem peccandi ore proferat se dolere, & proponere emendationem, etsi emendationis spes nulla appareat*. Debet enim ita dicere, ut sibi non contradicat modò explicato. Et rursus debet communiter loquondo præbere spem aliquam emendationis.

9 Dum autem dicunt vestri Doctores, eum non mereri fidem, qui habens pravum habitum, aut iterum lapsus, dicit se non amplius peccaturum, non resisto. Sed propositum non consistit in hoc, quòd Pœnitens non sit amplius peccaturus, sed in eo quòd nunc habeat animum, & seriam voluntatem non peccandi ampliùs. Quamvis ergo fortè non mereatur fidem in eo, quod dicit, se non pec-

caturum ampliùs, nam pravus habitus facilè eum ad aliquem lapsum pertrahet, meretur fidem in eo quod dicit, se habere veram, & absolutam voluntatem non peccandi ampliùs: cum enim sciat, hanc requiri, ut reconcilietur cum Deo, & veniat ad hunc finem, ut venire credendus est, nemo enim supponitur malus, nisi probetur, nisi videlicet adsint signa actualis malitiæ, jam credi debet, quod hanc voluntatem habeat, dum seriò dicit se eam babere. Hinc benè Suarius de Pœnit. disp, 32. sect. 2. num. 2. *Non oportet, ut Confessor sibi persuadeat, & judicet etiam probabiliter, ita esse futurum, ut Pœnitens à peccando abstineat, sed satis est, ut existimet nunc habere tale propositum, quamvis post breve tempus illud sit mutaturus*. Quæ propositio valde differt à damnatâ, cujus modò meminimus, non enim Suarius dicit debere Pœnitentem statim absolvi, etsi spes nulla emendationis appareat; sed posse absolvi, quamvis Confessor nec probabiliter judicet futurum, ut Pœnitens ab omni gravi peccato abstineat. Optimè autem contingit, quod Confessor id non judicet, imo quod judicet cum relapsurum, & tamen futurum speret, ut tandem emen-

emendetur. Imo hoc judicium simul & spem habemus plerumque, cum audimus hos homines ex pravis habitibus valde ad peccatum inclinatos, cum ingenti significatione doloris confitentes. Ex eo enim, quod diù vixerint perditissimè, malamq; peccādi consuetudinem contraxerint, judicamus facilè eventurum, quod solet evenire, quòd videlicet aliquando sit relapsurus, ex eo autem quòd præbet signa ingentis doloris, efficacisque propositi, speramus fore, ut primò rariùs cadat, adeoque aliqualiter emendetur, inde emendetur penitus; & ad hunc finem absolvimus, ut ab ipso Sacramento ad id roboretur, & benignè tractatus, iterum ad Medicum redeat, & pænitus curetur, nec cadat amplius, imo in virtute proficiat.

Illud etiam est falsum, quod relapsus relabendo fefellerit Confessarium. In ultima 10
siquidem Confessione, quam habuit non dixit *Non relabar ampliùs*: non relabi enim est obiectum propositi, non est ipsum propositum, vel si hoc dixit, voluit hoc significare, se habere propositum non relabendi ampliùs, se velle non relabi ampliùs, & verè habuit tale propositum & voluntatem, saltem censendum

dum est, ut supra dixi, quòd verè habuerit. Non igitur est dicendum, quo fefellerit.

D. R. Imo censendum est, quod non habuerit verum propositum, inquiunt nostri Doctores.

D. D. At cur ita censendum est?

D. R. Quia est relapsus.

11 *D. D.* Non id sufficiens argumentum est. Si enim liceret ita arguere, *Petrus relapsus est, adeoque non fecit quod in Confessione dixit se proponere ergo verè non proposuit.* Licebit etiam ita arguere. *Petrus Religiosus non servavit castitatem, adeoque non fecit, quod in Professione Religiosâ dixit se promittere & vovere ergo verè non promisit, nec vovit, adeoque non peccavit contra votum, & potest ducere uxorem.* Ut igitur ex eo quod quis non observet quod vovit, non licet arguere, quòd non voverit; ita nec ex eo, quòd quis non observet quod proposuit, sitque relapsus, licet inferre, quòd verè non proposuerit & consequenter, quod neque in præsenti Confessione verè proponat.

D. R. Id quidem evidenter ostendit, eos decipi, si hoc modo arguannt. Sed fortè ex relapsu post Confessionem, non arguunt

quòd

quòd tunc Pœnitens proposito caruerit, sed dubitant, an verè habuerit, & consequenter an habeat.

D. D. Nec id prudenter fit, ut ex lapsu contra votum imprudenter dubitamus, an verè votum sit emissum.

D. R. Saltem cùm Pœnitens, non semel, sed pluries id fecit, pluries confitendo, & pluries relabendo, ingens suspicio est, ne verè proposuerit.

D. D. Id quoque falsum est, si præsertim Pœnitens sit rariùs relapsus, aut saltem 12
conatus fuerit non relabi. Hæc enim aliqualis emendatio, vel conatus est effectus præcedentis propositi. ut dixi disp. 5. ubi pariter ostendi, absolvi hujusmodi Relapsos posse, aut etiam debere subinde, non ita facile alios, ut docet Card. de Lugo ibi laudatus, nisi urgeat aliqua necessitas, & dent speciali signa doloris.

His positis facilis est responsio ad casus quos ibi proposui. Falsum est enim nos ex- 13
ponere sacramentum periculo saltem prudenti, aut probabili nullitatis quod solum caveri debet. Sententiæ enim oppositæ sunt prorsus improbabiles, ut constat ex dictis in omnibus

bus præcedentibus hujus partis 2. disputationibus. Ex qua eadem ratione vos non exponitis sacramentum vero periculo nullitatis, quamvis non exigatis à Pœnitente dolorem intensum. Falsum similiter est, esse valde probabile, quod Pœnitens in illis casibus non habeat dolorem sufficientem, imo est valde probabile & prudenter credendum, quod habeat, & in hoc sensu quamvis non sit certum certitudine speculativâ, quod habeat, est certum certitudine practica, ut explicavi.

14 Ad damnationem Innocentianam resp. 1. debere quidem nos sequi circa valorem sacramenti opinionem tutiorem, dummodo sit probabilis: non enim Deus, aut Ecclesia obligavit nos unquam ad sequendam opinionem improbabilem & imprudentem. Sententiæ autem oppositæ sunt prorsus improbabiles ut dictum est. Hinc quamvis tutior esset sententia, quæ doceret nos teneri procurare dolorem non solum perfectæ, sed perfectissimæ charitatis, eumque valde intensum, adhuc non teneremur, ut vos conceditis, eam sequi. Sunt autem vestræ sententię improbabiliores prędicta, aut saltem ęquè improbabiles, ęquè oppositę communi sensui

sui

ſui Doctorum, & praxi Eccleſię, & reddentes ęque, aut magis difficilem adminiſtrationem hujus Sacramenti, & conſequenter ſunt ęque aut magis contrarię ejus Inſtitutioni.

Reſp. 2. ex Cardenas in Cryſi Theol. differt. 2. cap. 6. art. 2. num. 61. & ex Didaco de la Fuente Hurtado in Theol. reform. diſſert. 2. num. 9. non licere in re pręſenti relinquere tutiorem ſententiam, ſequendo probabilem tantùm, & non certam, ut dicitur in propoſitione damnata, in qua ſententię tutiori opponitur probabilis, quo nomine ſic abſolute prolato ſignificatur ſententia non certa. Noſtrę autem ſententię, quas hìc propugnamus ſunt certę. Qua profectò ratione vos reſpondetis Adriano, Soto, aliiſque exigentibus in omni actu verę contritionis intenſionem, quam vos neceſſariam, negatis.

Reſp. 3. falſum eſſe, quod rigidę veſtrę 15
ſententię ſint tutiores. Hic autem diſtinguenda eſt ſententia ab objecto ſententię. Verum quidem eſt eſſe tutiùs habere Contritionem, & accedere ad ſacramentum poſt longam pręparationem, poſt longam emendationem, poſt ingentes Pœnitentias, at non eſt tutior ſen-

sententia, quę id exigit, sicuti tutius est habere Contritionem intensissimam, non tamen tutior est sententia, quę id exigat, non solum quia non cohęrent hę rigidæ sententiæ cum principiis fidei, adeoque securæ non sunt securitate Fidei, quam securitatem debent habere omnes sententiæ, sed etiam quia ex ipsis non fit, ut certior sit materia sacramenti sed ut sit minus certa. Fideles enim, hujusmodi rigore absterriti, rarissimè accederent ad hoc Sacramentum, & solum coacti metu Censurę;& rursus,ne cogerentur subire ea onera tam gravia, graviores culpas reticerent; saltem ingens periculum esset, ne id facerent, & consequenter minus certus esset valor Sacramenti. Videor ne tibi satis ad omnia respondisse?

D. R. Abunde, ne dum satis ad omnia quæ initio proposuisti. Adhuc tamen hæreo animi dubius.

D. D. Superest ne aliquid aliud quod te angit.

D. R. Me quidem id solum angebat cum præcedentem disputationem clausimus; postea vero Gaspar Juenin unus ex præcipuis nostris Doctoribus, in quem forte incidi, suspi-

ſpicatus ex quibuſdam meis interrogationibus, me diſceſſionem cogitare, multa dixit contra veſtram benignitatem. Sed hæc non moverunt. Juſſit inde legere ſuum Commentarium Hiſtoricum dogmaticum, ubi agit de abſolutione peccatoris pravis habitibus implicati, de hoc enim fuerat ſermo. Ea me lectio, ut verum fatear, non nihil commovit, vereorque, ne ex his quæ ex te audivi, ſolvi omnia poſſint.

D. D. Experiamur. Habes ne librum ad manus?

D. ℞. Quem vides recenti picto corio coopertum, ille eſt.

D. D. Quæſo ne graveris relegere quod legiſti,

D. ℞. Libenter faciam. Hanc initio concluſionem ponit differt.6. quæſt. 9. cap.4. art.7. *Qui mortaliter peccarunt ex conſuetudine, non debent abſolvi, niſi multo ad viri prudentis judicium tempore, converſionem operibus probaverint.*

D. D. Nec horres ad propoſitionem ita
ſeveram, ita univerſalem nullâque exceptio- 16
ne limitatam? Igitur ſi hujuſmodi peccator, qui ex prava conſuetudine deliquit, ex concione

cione

cione fervidi ſanctique Oratoris concipiat ingentem anteactæ vitæ dolorem, & ex efficaci voluntate inchoandi novam vitam, post diligens examen totius vitæ ſuæ, eodem die ad Confeſſarium pergat, eique cum fletu amariſſimo confiteatur omnia ſua peccata nec reticeat pravam conſuetudinem, ſuorum ſcelerum cauſam, proponatque aliam omnino vitæ rationem in poſterum inſtituere, abſolvendus tamen ea die non erit, imo nec eâ hebdomadâ, nec forte eodem menſe, alioque ſequenti, vult enim tuus iſte Doctor, ut intercedat multum tempus, nempe donec Confeſſarius prudens judicet, pravum habitum eſſe contrariis virtutum actibus enervatum, quod ſane plurium menſium, aut annorum opus eſt tui Doctoris judicio.

D. R. Ita puto, nam ideo poſtea pag. ſequ. ſic habet *Toti antiquitati perſuaſum fuit, Contritionem non eſſe diei unius opus, ſed multorum menſium, imo & non nunquam annorum.*

D. D. Huic igitur miſero Pœnitenti expectandum erit, donec ſua prava conſuetudo extinguatur, aut valde debilitetur? At quis, eam ſatis debilitatã eſſe docebit? Id ex ſe Pœnitens judicare non debet, imo nec Confeſſarius

cum

cum audiit confitentem, id judicium ferre potuit, aut debuit, cum incertum sit, quæ sit futura Pœnitentis emendatio. Debet ergo eum monere, ut redeat non quidem certò absolvendus, sed iterum audiendus, an se bene gesserit. Et quot libenti animo tolerabunt hanc longam dilationem, eamque fortè nec suffecturam? Sed toleret & redire constituat, utique ad eundem Confessarium si potest. Et quid si non potest?

D. R. Adeat alium.

D. D. Igitur iteranda confessio erit, ea confessio tam longa, tam difficilis facienti, audientique & fortè ex causa, quam mox dicam, erit iterum protrahenda absolutio. Sed redeat ad eundem, ut debet, si potest. Unde judicabit Confessarius, pravam consuetudinem esse satis debilitatam, aut sublatam?

D. R. Si per aliquot hebdomadas, vel menses in id genus peccati non incidit.

D.D. Ec quid si lapsus amplius non est, quia omnis abfuit occasio labendi? Solebat in ludo blasphemare. Non lusit eo mense, quia pecunia defuit, socius defuit. Non inde sublatus est habitus. Est forte idem qui erat antea. Igitur longior erit instituenda proba-

tio, expectandumque, ut ludere possit, nec velit. Tandem potuit, & abstinuit plerumque. Aliquando tamen lapsus est. Quid hic faciet Confessarius? Hærebit? en angustiæ. Absolvet? En angustiæ majores, timoresque peccandi in Confessario (ut estis omnes) subtili, anxio, pavidoque. Iterum differet? En angustiæ in Pœnitente, inde indignatio, tandem desperatio, & propositum non confitendi amplius. Cum hoc pravo proposito discedet, qui primùm cum lacrymis sanctoque illo proposito instituendi novam vitam accessit. Omitto casus incertissimos & nimis frequentes in hoc hominum genere mortis improvisæ, in quibus saltem incerta esset Pœnitentis salus, eâque incertitudine ingens in Fidelibus odium in Confessarium crearetur, inque ipso Confessario dolor ex malo eventu, novusque timor commissi ex nimia severitate peccati. Vides quam difficilem executionem habeat hæc tui Doctoris regula, tam severa, tam generalis? Sed fortè manifestam aliquam rationem afferet, quæ id facere cogat. Audiamus.

D. R. En argumentum, quod primo loco affert. *Sacramenti Minister extra casum neces-*

necessitatis, seu ubi non urget vitæ periculum, uti non potest materia dubia, neque conferre Sacramentum subjecto, de quo meritò dubitat &c.

D.D. Sed negavi habendam esse ut practicè dubiam prædicti Pœnitentis dispositionem.

D.R. Affert tamen aliquas pro se rationes.

Prima ea est, quod *Contritio ordinariè, ac passim non solet unico momento, seu intra paucos dies efformari in corde hominis, quem ligat inveterata peccandi consuetudo.*

D. D. Id autem falsum esse ostendi non 17
semel, ut nosti, & asseritur sine ullo fundamento, & ratione.

D. R. Affert hanc petitam ex verbis Christi Domini docentis *arctam esse viam quæ ducit ad vitam & paucos esse qui eam inveniant.* Hinc enim infert, difficilem esse viam salutis, & consequenter non esse facilem Contritionem.

D. D. Sed via per quam certò pervenimus ad salutem, non est mi Doctor, sola Contritio, quæcunque ea sit, sed perseverantia. Hinc multi, quia non perseverant, cum tota sua Contritione, quam olim habuere, dam-

nantur. Perseverantia autem utique difficilis est, si diù quis vivat. Hoc igitur Scripturæ textu abutitur tuus Juenin, & speculando insuetus, duo distinctissima confundit. Profer alterum argumentum, nam primum hoc esse dixisti.

18 *D. R.* Alterum argumentum petit ex Patribus docentibus hujusmodi Pœnitentes non esse nisi post longam probationem absolvendos. Profert autem Cyprianum. Ex libro de Lapsis, vbi sic. *Si quis præpropera festinatione temerarius remissionem peccatorum dare se cunctis putat posse, aut audet Domini præcepta rescindere, dans scilicet pacem nondum Pœnitentiâ perfunctis, non tantùm nihil prodest, sed obest lapsis.*

D. D. Sed hic nullum verbum de lapsis ex prava consuetudine, sed solùm de lapsis, imo de lapsis ex sola infirmitate in Apostasiam, quæ expianda erat per publicam Pœnitentiam, ut expiatur modo apud sacrum Tribunal. Sed mirum non est, quòd abusus paulo ante authoritate scripturæ, abutatur etiam authoritate Cypriani.

19 *D. R.* Tertium argumentum petit ab experientia qua experimur magnam esse vim pravi

pravi habitus unde S. August. lib.8. Confess. cap. 5. eum vocat, ut ipse expertus erat, peccandi necessitatem.

D. D. Nempe magnam difficultatem abstinendi à peccato.

D. R. Ergo Pœnitens valde probabiliter imo certè relabetur, donec ea prava consuetudo per opera Pœnitentiæ enervetur.

D. D. Id primùm nego. Nam D. Augustinus loquitur de habente pravam peccandi consuetudinem, sed non Pœnitente, neque omnino proponente emendationem, imo amante miseriam suam, ut amabat ipse olim; aut non omninò volenti laqueos abscindere. Sed esto, ea prava consuetudo etiam in Pœnitente sit validus ad relabendum impulsus, unde ille valde periclitetur de relapsu. Quid inde? Num Christus dominus ita hoc Sacramentum instituit, ut conferretur soli non relapsuro, aut soli ei, de quo non timeas facilem relapsum? Minimè verò. Voluit conferri dispositis nempè habentibus actu verum dolorem & propositum, & præbentibus spem emendationis. Hi autem præbent, & majorem præbent quam rejecti; nam, aut non re-

labuntur amplius, aut minus, & se continent per aliquot dies, donec, saltem multi, emendantur penitus; illi verò plerumque ad indignationem, odium Sacramentorum, ac desperationem non raró impelluntur. Experientia igitur Augustini vobis non favet, alia experientia favet nobis, favet Ecclesiæ praxis, aliaque multa.

20 *D. R.* Imo Ecclesiam favere dicit sibi. Pergit enim sic. *Veteres, ut suo loco demonstratum est, lapsis Absolutionem ordinariè non impendebant, nisi priùs Pœnitentiæ stadium decurrissent: sic verò gerebant sese non tantùm, ut pœnam peccato debitam peccatores eluerent, sed etiam ut præviis laboribus donum Contritionis à Deo obtinerent.*

D. D. Simili modo audisti in disp. præcedente Apostatam Marcum Anton. de Dominis, aliosque ei similes inutiliter declamantes, quibus non semel responsum est primò, non constare de praxi veteris Ecclesiæ, nec deesse valida argumenta, quibus probetur, eam quoque statim absolvisse, eaque attuli disp. 11. par. 1. Secundò, eam, si distulit absolvere, id fecisse solum cum iis quos ad publicam pœnitentiam damnabat, iisque ipsis sæ-

pe

pe ſtatim indultum. Tertiò alia tempora alias leges requirere, ut non ſemel dixi, & probavi, & meminiſſe deberes. Proſequere lectionem.

D. R. Redit ad Scripturas, quæ Pœnitentem deſcribunt ut conſtantem in ſuo propoſito. 21

D. D. Sed quæro à tuo iſto Doctore, an putet eſſe neceſſarium ad Sacramentum, dolorem & propoſitum conſtans, quod nunquam violatur, an non? Si hoc ſecundum, ad quid illa Pœnitentium conſtantium deſcriptio? Meminerit ſe Theologum hic agere, non Oratorem. Si illud primum, tam aberrat à Fide, quam aberrabant qui ad Eccleſiam pertinere dicebant ſolos perſeverantes in bono propoſito, electoſque.

D. R. At Patres (inquit ipſe) paſſim 22 dicunt Pœnitentiam veram non eſſe, quæ conſtans non eſt. Hinc communis ea vox eſt, *Vera Pœnitentia eſt mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere*. Multas autem in hanc rem ſententias congerit.

D. D. Sed facilis reſponſio eſt, ſi diſtinguatur Pœnitentia ſufficiens ad Sacramentum à Pœnitentia ſufficienti, & neceſſaria

 ad

ad salutem eternam. Pœnitentia necessaria ad salutem utique debet esse constans re, & affectu, at quæ est sufficiens & necessaria ad Sacramentum, satis est esse constantem affectu, alioquin soli Pœnitentes perseverantes usque ad mortem validum Sacramentum suscipient. Ad eam communem vocem Patrum respondetur, eos per ea verba definire Pœnitentiam qua salvamur, non eam qua justificamur in Sacramento. Non omnis autem qui justificatur in Sacramento salvatur; salvarentur autem omnes, si Pœnitentia Sacramenti consisteret in eo quod amplius non committerentur plangenda. Vel si loquuntur absolute de actu ipso Pœnitentiæ, is consistit in eo, quod plangantur præterita, & dum ea planguntur non committatur peccatum aliud plangendum, nempe vel diffidentiæ, vel præfidentiæ, vel aliud.

D. R. Sed hęc responsio valde displicet meo Doctori, ut audies. *Nihil magis inconditum ad ea Patrum testimonia reponi potest, quam quod nonnulli respondent, contendentes laudatis Patrum textibus non aliud elici, quam istud, eum nempe qui dum actu confitetur, relabitur in peccata, irrisorem esse non pœnitentem:* *non*

non elici verò hoc aliud, scilicet suspectam esse illius Pœnitentiam qui non multo post Confessionem in eadem crimina relabitur. Nihil inquam inconditum magis est.

D. D. At cur non magis, & justiùs exclamem ego. Et est qui audeat insurgere in D. Thomam, nec insurgere solùm, eique adversari, quod non careret audaciâ, sed ipsum damnare, ut Patrum interpretem insipientissimum, cujus nempe interpretatio sit ita incondita, ut magis esse non possit? Hæc enim interpretatio quam tantopere damnat tuus Iuenin est ipsissima responsio D. Thomæ, qui in 3. p. qu. 84. art. 10. ad 4. sic habet. *Dicendum quod pœnitere est anteacta peccata deflere, & flenda non committere scilicet simul dum flet, vel actu, vel proposito. Ille enim est irrisor, & non pœnitens, qui simul dum pœnitet agit, quod pœniteat, vel proponit iterùm se facturum quod gessit, vel etiam actualiter peccat. Quod autem aliquis postea peccet vel actu, vel proposito non excludit, quin prima pœnitentia vera fuerit: nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum cantrarium subsequentem: sicut enim verè currit qui postea sedet, ita verè pœnituit qui postea peccat.* Id solum video posse afferri 23

ad

ad excusandum tuum Iuenin, quod nempe S. Thomam non legerit, quæ tamen excusatio fortè pejor est ipso delicto, satisque demonstrat, à vobis non solos despici Theologos speculativos recentiores, sed omnes, quamvis doctrina præstantes, & perantiquos. Ex hujus autem Theologiæ speculativæ contemptu oritur is scribendi modus, quo utitur tuus Doctor facilè pronuncians, concionatorios textus congerens, & quæ sunt diversa, confundens.

24 *D. R.* Superest ultimum argumentum, quod petit ex ratione hoc modò. *Non censetur intermittente febri liberatus, qui intra unum, aut alterum diem illius æstu excruciandus est, ergo nec is censeri debet consecutus animi conversionem, qui licet per aliquod tempus à pravi habitus actibus temperauerit, brevì tamen debet in eos erumpere.*

D. D. Igitur erravit D.Thomas asserens, ut audisti, pœnitentiam esse veram, adeoque remissivam peccati, quamvis postea pœnitens relabatur? Cui præstet credere? tuo Doctori, an Doctori totius Ecclesiæ? Ea autem febris comparatio non probat quod intendit; siquidem cum febri non comparatur peccatum, quod

quod eſt mors animæ, ſed pravus habitus, qui eſt morbus quidam animæ, ex eo autem quod quis poſt Pœnitentiam iterum peccat, non ſequitur quod antea non fuerit extinctum peccatum, ſed quod non fuerit extinctus, & ſublatus pravus habitus, & inclinatio peccandi, quæ gratiam non excludit.

Hic autem me continere non poſſum, quin redarguam te, quod his Doctoribus, his 25
argumentis tranſverſum te trahi ſinas. Legis in his, aliiſque hujuſmodi commentariis, libriſque concluſiones difficiles, nihil probatas, ipſe tamen probabiles credis? Legis concluſiones horridas, nec exhorreſcis? concluſiones crudeles in miſeros peccatores nec mali quidquam ſuſpicaris? Audis non eſſe abſolvendos prava conſuetudine laborantes. Quid expectas, niſi ut doceant, pravum habitum (ut de fomite concupiſcentiæ docuerunt Hæretici) non ſolum eſſe peccati effectum, ſed peccatum, quo manente, abſque dubio Pœnitens adſolvi non poteſt. Rejiciunt Relapſos. Quid expectas, niſi ut doceant (quod alii docuere) Sacramentum Pœnitentiæ eſſe veluti Sacramentum Baptiſmi, quod iterari non poteſt? Volunt Pœnitentem ante abſolutionem diu

flere,

flere, amarissime conteri, multùm probari debere? Quid expectas, nisi ut doceant (quod alii plurimi docuere) ab Sacerdote non remitti peccata jam antea fletu ipso, probationibus ipsis, & contritione ipsa remissa? Quid tandem inferent? nisi Sacramentum Pœnitentiæ sacram quandam cæremoniam esse, declarationem quandam esse innocentiæ restitutæ, necessarium non esse.

D. R. Abhorrent ab his erroribus nostri Doctores.

26 *D. D.* At ipsi fortè non vident suæ doctrinæ consequentias, ut certè eas non vidisse dicendus est Franciscus Genettus in sua recentissima Theologia Morali edita Parisiis an. 1703. Ex pluribus exemplis rigidissimæ ipsius doctrinæ, unde gravia sequantnr absurda, unum afferam ex to. 4. tract. 6. de Sacram. Pœnit. ubi cap. 5. qu. 19. docet ad veram Contritionem in hoc Sacramento requisitam esse necessarium constans propositum, non inquit, propositum, *sed constans propositum*, idque debere innotescere Confessori antequam absolvat, quod ipsum confirmat cap. 7. qu. 15. dicens unam ex necessariis dispositionibus ad absolutionem esse juxta Concilium

Tri-

Tridentinum cessationem à peccato, non esse autem censendum quod cessarit à peccato, qui qnamvis post ultimam Confessionem, & propositum, rariùs peccet, aliquando tamen peccat.

Ex hac doctrina sequitur 1. quod qui post plures lapsus, & peccata paulo ante commissa accedit prima vice ad Confessorem, is non possit statim eum absolvere, sed debeat differre. Hanc consequentiam ipse videt, & admittit, nec repugno.

Sequitur 2. quod si is redeat ad Confessorem, sed nihil emendatus, nec debeat absolvi, si præsertim media ipsi præscripta non adhibuit. Hanc etiam videt, & admittit. Igitur erit is iterum rejiciendus, utcunque dicat se nunc verè dolere, & lacrymas fundat. His enim non esse credendum satis docet cap. 5. qu. 21. Audi pulchram rationem. *Nam sæpè lacrymę proveniunt* (inquit) *ab humano prorsus affectu, vel ex imaginatione obiecto aliquo insolito commota*.

Sequitur 3. quod si is redeat tertia vice ad Confessarium ferè penitus emendatus, itaut peccarit solùm semel, aut bis qualibet hebdomada, cum priùs idem peccatum commit-

te-

teret sæpiùs in die, nec possit absolvi; non habet enim dispositionem necessariam ex Tridentino juxta modernum hunc interpretem, nempe propositum constans, & cessationem à peccato. hanc etiam consequentiam videt, & admittit pag. 112.

Sequitur 4. quod si vel semel tantum intra spatium plurium mensium suæ probationis lapsus sit, & quartò redeat ad Confessionem, sit similiter sine venia dimittendus. Consequentia est manifesta.

Sequitur 5. quod si Pœnitens accedat cum uno solo peccato mortali, quod heri prima vice commisit ex. gr. cum pravo desiderio, cum morosa delectatione, vel alio hujusmodi, non possit statim absolvi non enim potest Confessarius scire an habeat propositum constans, nisi, post propositum, perseveret sine peccato per tempus aliquod notabile, quod ipsi dicitis esse ad minus aliquot hebdomadarum seu mensis spatium.

Sequitur 6. quod is nec in articulo mortis possit absolvi, ut neque ille, de quo loquebamur paulo ante, qui propter unum relapsum est quartò rejectus; siquidem nec in mortis articulo potest absolvi qui caret dispositio-

ne

ne necessaria, nempe aliqua ex illis, quæ requiruntur ex Tridentino, quarum unam, dicit is author, esse propositum constans, & habitualem cessationem à peccato.

Sequitur 7. eandem praxim esse servandam cum iis qui sola peccata venialia confitentur. Tridentinum enim non distinguit, & vera pœnitentia est requisita in utraque Confessione, ergo si in confessione mortalium requiritur propositum cõstans, quia requiritur vera pęnitentia, id etiã requiretur in Cõfessione unius venialis præsertim deliberati. Ergo erit differenda absolutio etiam ei qui cum uno solo peccato veniali heri commisso accedit ad confessionem, eritque priùs diù probandus.

Quis unquam audivit tam absurdas doctrinas, tam severas, & repetitas ejusdem 27
Pœnitentis ferè in totum emendati dimissiones, tam impiam cum moribundis crudelitatem. Excusari autem debet is Author, qui non est censendus hæc docere voluisse, ergo dicendum est, quod has consequentias, ut initio dicebam, non vidit, ęamque potissimum, quod sacramentum tam severe administratum tolleretur penitus. Sed has consequentias videt optimè Demon qui sub hac spe-

ſpecie rigidæ pietatis vos decipit, & latens venenum ſecuriùs miſcet.

D. R. Venenum liquori dulci, qui alliciat immiſceri ſolet, non autem amaro, qualis eſt noſtra doctrina.

D. D. Has ille artes adhibere conſuevit, inſuetas nobis, ut magis fallat. Miror autem te nondum flecti poſt ea, quæ in his diſputationibus ſparſim tractata audiſti de damnis veſtri rigoris, deque benignitatis noſtræ fructibus indubitatis.

D. R. Audivi quidem multa ſparſim, ſed magis dicta, quàm probata.

D. D. Volentibus perſuaderi, nec lumini repugnantibus ſatis probata ſunt. Laborem tamen non refugio. Quod obiter probavi, probabo ex conſilio, & futuram in id diſputationem inſtituam. Forte duriſſimam iſtam arcem animi tui, quam ratio ſola expugnare non poteſt, hoc qualecunque patientiæ meæ meritum expugnabit.



CA-



CALUMNIA XI.

Præſens Eccleſiæ benignitas in admini-ſtrando Sacramento Pœnitentiæ pernicioſa Fidelibus eſt.

DISPUTATIO XI.

Doct. Rig. Ermitte me prius eloqui, quæ paravi.

Doct. Diſcr. Permittam. Sed volo 1
priùs, illud tibi perſuadeas, quod in fine præcedentis diſputationis negaſti poſſe, aut ſolere contingere, nempe Demonem rigidâ ſæpe doctrinâ decipere, ac proinde liquori etiam amaro ſuum immiſcere venenum, quod plurimis exemplis oſtendo. Rigida profecto erat Phariſæorum

doctrina, de quibus Chriſtus Dominus Matth. 23. 13. *Alligant onera gravia, & importabilia, eaque imponunt in humeros hominum.* Rigida eorum ſecta fuit, quorum meminit Lucas Actorum 15. *Et quidam deſcendentes de Judæa docebant fratres, quia niſi circumcidamini, non poteſtis ſalvari.* Rigidiſſima erat, humanoque palato inſuavis doctrina Montaniſtarum, de quorum Doctore Proclo loquens Baron. annal. 201. *Caſtitatem, & continentiam celebrabat, nova jejunia, eademque auſteriora inſtinctu Spiritus Sancti ſervanda indicebat, vigilias, & preces multiplicabat.* Aſperi, durique fuere Novatiani, ut eos vocat Innocentius in epiſt. ad Exuperium. Omnium ſeveriſſimus fuit Euſtathius, qui, ut refert Concilium Gangrenſe conjugium, divitias, eſum carnium, ornatum veſtium, aliaque hujuſmodi tanquam illicita Fidelibus
2 interdixit. Quin ipſa Lutheri doctrina molliſſima ab rigore cepit, & tanquam à ſtudio reformandi Eccleſiam, per Pontificias indulgentias, ac Doctorum laxitatem, ut ipſe dicebat, deformatam. Quæ is contra Pontifices, pœnitentiam canonicam remittentes, indulgenteſque declamarit, norunt omnes; noſtro-

nostrorum vero Doctorum sententias veluti nimium benignas ita sugillat in lib. Resolut contr. conclus. Eckian. conclus. 2. *Gravis est error Theologorum peccatum veniale penitus nihil curantium . Nonne apparet hos Theologistas primum extinguere timorem Dei in hominibus , deinde pulvillos , & cervicalia sub manibus , & capitibus eorum ponere , ut Ezechiel dicit , ac orationes eorum remittere , ac spiritum extinguere ? Non est res levis momenti , dicant quid velint , legi , & voluntati Divinæ vel uno pilo dissentire , nec est levis res misericordia Divina, quæ veniale ignoscit . Ita illi legem , & voluntatem ac misericordiam Divinam pene pro ignavia habent , ne ferveat oratio , neve ferveat gratitudo justorum* . Et lib. Declamationum popul. super præcepta Decalogi & in comment. epist. ad Gal. asserit , contra præceptum Charitatis peccari ab eo , qui creatum aliquid diligat non ex imperio Charitatis . In lib. quoque quem de Usura , & Negotiatione scripsit , personam egregiè sustinet rigidi Doctoris . Magistrum suum sequutus est Didimus apud Melancthonem , aut Melancthon ipse in orat. pro Mart. Luth. ausus ipsum D.Thomam redarguere laxitatis in definien-

dis obligationibus Charitatis. Hæc præfari debui, ne tibi de tuo rigore blandiaris.

D. R. Non is est noster rigor, quem isti Hæretici, vel Seductores profitebantur. Non imponimus cum Pharisæis onera gravia super humeros hominum, sed à Majoribus imposita custodiri cupimus.

D. D. Et custodes legis se tantùm esse, dicebant Pharisæi; hinc ea indignatio in Christum, quod Sabbata, ut ipsi dicebant, non custodiret.

D. R. Non dicimus cum Antiochenis perturbatoribus, *Nisi circumcidamini non potestis salvari*, sed cum Christo, *nisi pœnitentiam habueritis omnes peribitis*. Luc.3.

D. D. Et hanc prædicabat Montanus, & Proclus, dum indicebant nova jejunia.

D. R. Non negamus veniam peccatoribus ut olim Novatiani, sed imparatis differimus.

D. D. Parum, crede mihi, distant in praxi hæc duo, & quibus tandiu differtur à vobis absolutio, cum tam severè rejiciantur, negatur. Atque utinam non sitis tandem negaturi, quod modo differtis. Habet error progressus suos, nec semper in exortu totus est. *D. R.*

D. R. Non indicimus cum Euſtathio tanquam præcepta, quæ Chriſtus voluit tantùm eſſe conſilia.

D. D. Idipſum facitis, dum prævios fletus, contritionem perfectam, longam pœnitentiam, ad quam adhortantur ſcripturæ & Patres, tànquam neceſſariam ſacramento prædicatis.

D. R. Non ſimulata, & ad captandum plauſum aſcita noſtra ſeveritas eſt, ut ea Lutheri prodeuntis in publicum, & ſub impii zeli vexillo milites contra Eccleſiam conſcribentis.

D. D. Utinam non idem ſit veſtræ mi- 3
litiæ vexillum. Sed omittamus iſta, quæ nimis vera eſſe, aut futura, alibi non ſemel oſtendi. Sit is, quem præfertis, verus amor communis ſalutis, amor reſtituendi veteris Eccleſiæ diſciplinam, nego, hanc ita utilem fuiſſe, ut conſecuta inde benignitas, quam modò profitemur, ſit habenda tanquam minus utilis, aut etiam pernicioſa.

D. R. Sic habendam eam facile oſtendam. Et primò ex veſtra benignitate fit, ut Pœnitentes poſt mortem luant ingentes pœnas. Cum enim pœna culpis debita ſit omnino

nino persolvenda, vel in hac vita misericorditer per opera pœnitentiæ, vel in alia post mortem severissimè per ignem, quicunque in hac vita eam penitus non persolvunt, ut certè non faciunt vestri Pœnitentes, gravissimam, & diuturnam purgantis incendii sustinere cogentur post mortem, si tamen crudelius illud & æternum evadent.

D. D. Hoc fortè evadunt hodie plures, quam olim, eòque plures, quo plures sunt hodie Pœnitentes.

D. R. Nempe mollissimi Pœnitentes.

4 *D. D.* Nempe vero Sacramento Pœnitentiæ expiati. Quin Purgatorii quoque pœnis, aut penitus, aut citò liberandos speramus, freti Sacrificiis, quæ eo frequentiùs modò pro mortuis offeruntur, quò plures sunt in Ecclesia Sacerdotes; freti Pontificum Indulgentiis, quas modò tam sæpe pro nobis, mortuisque lucramnur, ad hunc ipsum finem frequentiùs jam, & effusiùs concedi solitas, ut, quandò alliciendis ad Sacramentum Pœnitentiæ Fidelibus, non ita graves Pœnitentiæ injunguntur, de Thesauro Ecclesiæ Divinæ justitiæ satisfiat.

D. R. Id ego lucro non appono, quod

tam

tam multi sint Sacerdotes, ac tam faciles Indulgentiæ.

D. D. Non dubito, quin, ut Sacramenta paulatim tollitis, sublaturi aliquando sitis etiam Sacrificia. Nec miror, quòd Pontificiam in relaxandis pœnis indulgentiam non ita laudetis, qui de isto Ecclesiæ thesauro tanquam de novo Theologorum Pontificibus adulantium figmento disputatis, & forte ipsam Ecclesiæ in Christi sanctorumque satisfactiones potestatem in dubium revocatis. Sed hæc obiter.

D. R. Et malignè. Sed pergo: Efficit 2. vestra benignitas, ne Peccatores pœnitentes magno illo cumulo meritorum ad uberiorem gloriam promerendam locupletentur, qui olim ex asperis illis, longisque Pœnitentiæ laboribus Pœnitentibus accedebat.

D. D. Non efficimus quidem, ut tanto cum merito salventur pœnitentes, sed efficimus, ut longè plures salventur peccatores.

D. R. Id incertum est.

D. D. Nihilo magis, quam illud.

D. R. Certissimum illud est, quod nempe ea tam longa, tam aspera pœnitentia erat ingentis meriti ferax.

D. D. Certissimum id quoque est, eos qui tam longam, tamque asperam pœnitentiam egerunt, paucissimos fuisse, nec tam multos modo esse impœnitentes.

D. R. Id ultima Mundi dies ostendet. Prosequor enumerare reliqua. Fit 3. ex vestra benignitate, ut Populi non sint ita suis Episcopis subjecti, ut erant olim, cum saltem in delictis gravioribus Episcopus sontes audiebat, judicabat, pœnitentiæ tempora decernebat, absolvebat.

D. D. Imo fit, ut Populi Pastores suos diligant magis, quàm olim, cùm omnes Episcopi (si vera sunt quæ dicitis) certè non pauci, ut ostendi disp. 9. part. 1. severiùs in delinquentes animadverterent. Hinc tam multi eorum se judicio submittere detrectantes, ex remotissimis etiam regionibus ad Romanum Pontificem confugiebant, ut constat ex Concilio Salegunstadiensi, & Lemovicensi, & ex epist. Nicolai 1. ad Episc. Rivoladrum. Hinc ea, aut transfugientium ad hostes Fidei, aut se necantium ex horrore publicæ, vel nimis asperę pœnitentiæ desperatio, quod evenisse testantur can. 4. Patres Concilii Toletani 16. *Quorundam hominum*

tam grave inolevit desperationis contagium, ut dum fuerint pro quavis negligentia aut disciplinæ censura multati, aut pro sui purgatione sceleris sub Pœnitentiæ satisfactione custodia mancipati, incumbente desperationis incommodo se ipsos malunt, aut suspendio enecare, aut ferro, aut aliis mortiferis casibus interimere &c.

D. ℟. Non oriebatur id ex disciplina Ecclesiæ, sed ex aliquorum qui justè puniebantur, dementiâ, aut etiam ex aliquorum plus justò punientium severitate. Hic autem expendimus quid ex rigida quidem, sed communi, probataque Ecclesiæ disciplina proflueret.

D. D. Sed hoc oritur ex ipsa natura magni rigoris, qualem vos toti Ecclesiæ veteri tribuitis, ut qui eum præfert, non amore, sed odio potius habeatur. Pastorem autem, Patremque amari decet, nec agere Censorem terribilem, & Judicem inclementem.

D. ℟. Id mali, si quod verè fuit, redi- 6
mebatur aliis multis bonis, quæ ex vestra be-
nignitate non profluunt, ut jam ostendo.
Fit 4. ex vestra benignitate, ut Pœnitentes
non ditent Ecclesiam prædiis, juribus, pecu-

nia,

nia, omnisque generis eleemosinis, quas in Canonicæ Pœnitentiæ redemptionem erogabant. Hoc enim modo diviti censu ditati Episcopi, Templa ubique extructa, & innumera fundata Monasteria fuere à Principibus viris, aliquando etiam postquam de veteri rigore remissum fuit, sed longe frequentiùs, cum viguit severior disciplina, ut multis exemplis ostendere possem.

D. D. Sed ego ostendam oppositum, nempe liberaliorem fuisse, post ea secula severitatis, Fidelium pietatem, plura Templa extructa, plura Monasteria, plura egenorum receptacula, Academias ferè omnes. Quamvis autem evinceres, ditiores fundationes antiquiores esse, & antiquæ pœnitentiæ fructus, opus non fuit ampliùs ditioribus hujusmodi donationibus, quibus Ecclesia in invidiam vocaretur.

7 *D. R.* Sed illa quantò augustior tunc ædificatio non Ecclesiarum, sed Fidelium, ex publicæ virtutis exemplis, cùm tam multi spectabantur in foribus Ecclesiæ lugentes, squallidi, accusantes se, pedes Fidelium osculantes, deprecantes veniam, in angulo Ecclesiæ ore demisso Fidei doctrinam audientes,

tes, Episcopi pedibus provolutos, & repulsam per menses & annos patientissime tolerantes?

D. D. Nec frequens fuit hoc spectaculum, nec multorum, nec diuturnum in Ecclesia, ut ostendi disp. 9. part. 1. Sed fuerit frequens, fuerit utile, quam frequentior modo, & utilior concursus cernitur sedem Confessarii in omnibus Ecclesiis obsidentium, expectantium, sponte confitentium distinctissime culpas suas, inde abeuntium ab Ecclesia cum anima perpurgatâ, cum Deo reconciliatâ, de Ecclesiæ benignitate contentâ.

D. R. Sed mox relapsurâ, si tamen surrexit unquam, quod suspicari, imò etiam credere necesse est. Unde enim modò cum tam frequenti Sacramentorum usu tanta licentia, olim verò Fidelium mores tam sancti, nisi quia qui modò cadunt, aut non resurgunt, utpote qui veram Pœnitentiam non agunt, aut si resurgunt, levissimâ Pœnitentia castigati statim relabuntur; cum è contra olim Fideles severissimæ Pœnitentiæ legibus absterriti non laberentur, aut diù macerati, probatique ante absolutionem, verè resurgerent, & à relapsu revocarentur.

D. D.

D. D. Putas ergo meliores fuisse olim Fidelium mores?

D. R. Indubitatum hoc habeo.

D. D. At unde habes? Forte ex eo quod Episcopi sanctiores essent?

D. R. Id audes negare?

8 *D. D.* Fuerunt quidem non pauci sanctitate præstantes, sed alii longè plures aut errorum satores, aut errantium fautores, aut Principum ambitione, vel suâ ad sacros Magistratus evecti. Sanctitate ac doctrina præcelluit S. Gregorius Nazianzenus, sed ideo loco cedere coactus, eique substitutus Nectarius rerum Ecclesiasticarum prorsus ignarus, eoque suo decreto, quo Presbyterum Pœnitentiarium sustulit, de morum disciplina pessime meritus, ut Socrates& Sozomenus aliàs citati fatentur. Eloquentia, doctrinaque illustris S. Joannes Chrisostomus fuit, sed ejus successor Arsacius *homo infantissimus, decrepitus senex, & spiritualis exercitationis ignarus*, ut Baron. ad ann. 404. Vir SS. Ambrosius, sed ejus præcessor Auxentius Hæreticus. Si hæc præciquarum Urbium erat calamitas quid contigisse minoribus putas? Sed nolo conie-cturis rem agere, ubi non desunt testimonia.

Audi

Audi Costerium virum antiquitatis non ignarum in vita D. Ambrosii. *Corruptissimum tunc erat seculum, & propter opinionum diversitatem pugnax admodum, ac factiosum, Ut quisque excellentiori doctrina ceteris præstare videretur, vix Hæreseos suspicionem evaderet*. Meminisse autem debes loqui Costerium de seculo quarto; nam anno 397. obiit Ambrosius, hoc autem seculo conditi fuere celebriores, rigidioresque canones pœnitentiales Nysseni, Basiliique. Id ergo seculum quod vos ex severitate Pœnitentiæ celebratis, corruptissimum vocat Costerius: nec certè diffidentibus, ac invicem digladiantibus perpetuò Episcopis, & à suis sedibus sæpè pulsis, sæpissimè absentibus, ut Conciliis interessent, à noxiis pascuis abduci grex poterat, ne dum lætiori pabulo recreari. Qui autem Ecclesiis præficerentur quinto aut sexto seculo, quique tunc in Clerum cooptarentur, an soli sanctiores, an verò nihil absimiles eis quos modo sacris præfecturis, aut ministeriis decoratos videmus, colliges ex Hieronymo, Gregorio, & Salviano *Interdum* (inquit Hieronym. lib. 1. contra Jovin. docens cur Ecclesiastica præfectura non esset pœnes puriores

me-

melioresque) *hoc ex Pontificum vitio accidit, qui non meliores, sed argutiores in Clerum eligunt, & simpliciores quosque, atque innocentes inhabiles putant, vel affinibus, & cognatis quasi terrenæ militiæ officia largiuntur, sive divitum obediunt jussioni, quodque his pejus est, illis Clericatus donant gradum, quorum sunt obsequiis deliniti*. Non interdum solum, sed *plerumque contingit* (inquit Gregor. hom. 26. loquens de Ecclesiarum Pastoribus) *ut hìc judicii locum teneat, qui ad locum vitâ minimè concordat. At proinde sæpè agitur, ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus solvat. Sæpe in solvendis, atque ligandis subditis suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequitur &c. Sæpe fit, ut erga quemlibet proximum odio vel gratia moveatur Pastor. Judicare autem de subditis dignè nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia, vel gratiam sequuntur; unde rectè per Prophetam dicitur. Mortificabant animas, quæ non moriuntur*. Salvianus verò (inquit Bellarm. de script. Eccl.) *ita exaggerat vitia Christianorum, & maximè Clericorum sui temporis* (nempe quinti seculi, floruit enim ann. 460.) *ut nimius videri possit, nisi ex vero zelo gloriæ Dei, & salutis animarum ejus oratio proficisceretur*.

Sed

Sed ingentia certè fuere crimina, quæ hominem Clericum de Clericis ita loqui coegerunt. An putas seculo septimo meliores fuisse, cùm Sanctorum, Doctorumque minor numerus fuit, & ut dictis remissior disciplina? An octavo, vel nono, cùm, ut Clericorum honestati consuleretur, fuit opus id eis negare, quod fuerat à Synodo Nicena permissum. *Quanquam* (ita statuit Concilium Forojuliense ann. 791.) *de quibusdam mulieribus inhonesta carentibus suspicione clementiùs aliquo modo in Concilio Niceno legatur indultum, nos tamen Omnes omnino nunc necessarium vetare prospeximus, eo quod experimento didicerimus illarum velamento alias licentiùs ad eos aditum veniendi perditionis causam habuisse.* In majoris petulantiæ remedium id ipsum statuit Concilium Moguntinum ann. 888. quod honestiùs legitur, quam recitatur, uti etiam quæ de suorum temporum Sacerdotis habet pluribus in locis Petrus Damiani. Hunc si leges, & reliquorum temporum ante ipsum monumenta consules, id apud te statues, curam semper gessisse domus suæ Christum dominum, nec unquam defuisse fidos Pastores, qui volentibus doceri saluberrima pascua com-

commoſtrarent Rurſus fuiſſe quidem olim Epiſcopos aliquot, ſanctitate ac doctrina præſtantes, & fortè plures quam modò, ſed longè plures fuiſſe, aut vitæ minus ſanctæ, aut doctrinæ minus tutæ, quam ſint hi qui modo præſunt Eccleſiis, qui plerumque ſi optimi non ſunt, nec Hæretici ſunt, nec Schiſmatici, nec violenti Infularum invaſores, imo nec mali ſunt qui proinde ſin multùm proſunt, nec multùm nocent, imo nec nocent. Cùm autem longe melius ſit non eſſe multos qui nequitiâ multùm noceant, quam eſſe aliquot qui ſanctitate multùm proſint, ſit eſſe longè meliorem noſtrorum temporum conditionem, quam præcedentium. Si ergo Clerum ſpectes, ex cujus aut probitate, aut improbitate adeo pendent Fidelium mores, nequis aſſerere, meliores eos olim fuiſſe, quam modo.

9 Fortè meliores olim fuere Fideles, quod magis abeſſent à peſſimis exemplis? At per plura ſecula mixti fuerunt ubique Ethnici, Hæretici, Catholici, quorum proinde oculis objiciebantur ubique exempla vitiorum, quorum auribus, aut laudes inanium Deorum, aut blaſphemæ in verum Deum voces,

aut

aut errores Hæreticorum inſonabant ubique, non ſine gravi audientium damno, eoque diuturno: nunquam enim eà diligentia, qua his ultimis ſeculis, cautum fuit ne quid impium, aut à Fide alienum rudis populus doceatur.

Fortè ex eo, quod olim plura ſuppeterent ad pravas conſuetudines avellendas, moreſque ad pietatem conformandos adiumenta? At nunquam hæc uberiora fuerunt, quam modò, cum tantus eſt Templorum nitor, tot in Templis pietatis ſpectacula, tot officia religioſa, piæ exercitationes tam variæ; cùm tanta eſt piorum librorum copia, quibus in Fide, & moribus inſtruuntur Fideles, tanta Sacerdotum copia, qui panem ſacri ſermonis populo frangunt, qui Sacramenta miniſtrant, qui argumenta ad meditandum in receſſu religioſo Initiandis, & in Ordine Regulari Profeſſuris proponunt, qui Urbes & Oppida docendo, concionandoque obeunt: cùm tot ubique Seminaria, tot Collegia, totque erectæ domus aut ingenuis adoleſcentibus educandis, aut expoſitis ejectiſque recipiendis, aut relictis, & profugis colligendis addictæ: cùm demum tot artes excolendorum

omnis generis hominum inventæ, tot morbis animæ curandis remedia præparata, ut hoc maxime tempore impletum videatur illud Esaiæ vaticinium cap. 25. *Et faciet Dominus exercituum omnibus in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defecatæ*. Et cap. 30. *Dabitur pluvia semini tuo, ubicunque seminaveris in terra, & panis frugum terræ erit uberrimus & pinguis &c. & erunt super omnem montem excelsum, & super omnem collem elevatum rivi currentium aquarum*. Caufas, ut vides, quæro omnes, quæ te movere possunt ad sentiendum tam magnificè de veteris Ecclesiæ Fidelibus, tam demissè de aliis. Sed nullam reperio. Non loquor de Fidelibus nascentis Ecclesiæ nihil rigidæ & potius benignæ, sed Ecclesiæ adolescentis, quam severam, & rigidam appellas. Hanc ego sanctiorem fuisse nego.

11 *D.R.* At sanctiorem eam fuisse ex eorum temporum Historicis, & Patribus ostenditur Nec facit, quod plura modò suppetant ad virtutem auxilia, plura vitiorum remedia, quandò deest præcipuum, nempe rigida in delinquentes censura, sine qua reliqua parum conferunt utilitatis. *D.D.*

D. D. At Historicos Patresque ego allegavi. Ex his audisti qui eligerentur in Clericos, qui plerique Episcopi essent, & minores Sacerdotes. Id putavi sufficere, ut intelligeres ex moribus Clericorum qui essent mores cæterorum. Quoniam verò coniectare non vis, sed clarè intelligere, qui tunc essent totius Christiani populi mores, faciam, ut intelligas ex D. Augustino ea deplorante, ac redarguente in populo suo, quibus modo populus Christianus vel abstinet omnino, vel non ita sordescit. Et primò non ea solum Fideles illos superstitio infecerat, quæ spem ponit in quibusdam eo ordine, eo numero, eo temporis articulo aut inceptis, aut peractis, & nostras aliquando mulierculas magis imperitas plerumque, quam pravas decipit, sed impiæ quædam persuasiones, & cultus sacrilegi, qui à Fidei candore, & vix non à Fide ipsa abstrahebant. Hujusmodi erant Ethnicæ quædam invocationes clamoresque inter saltandum præ foribus Templorum, vel dum Luna defectum lucis patiebatur, item vacatio ab omni labore velut in obsequium Jovis, ea die, quæ à falso illo Numine nuncupatur, in quę S. Doct. ser. 215. de Temp. magna significa-

tione doloris invehitur. Nec absimilis ea aut omnium, aut ferè omnium superstitio erat adornantium mortuis super eorum tumulos convivia, ut paratis epulis Parentum, Fratrumque suorum, quos extulerant, animæ pascerentur, ab qua eos dementia avocare satagit serm. 15. de Sanctis, illud inculcans, *Animę Fratrum Parentumque nostrorum minimè cibis carnalibus delectantur. Cessate ergo fratres ab his erroribus &c.* Cum autem epulis præparatis, expletâ eâ ceremoniâ, illi ipsi vescerentur qui mortuale convivium instruxerant, hinc oriebantur illæ in Templis commessationes, & ebrietates, quas ille non semel deflet amarissimè, & præsertim ep. 22. ad Aurel. Episc. Carthag. Nec minori doloris significatione eorum impietatem redarguit ser. 251. de Temp. qui sermones miscebant in Templis dum sacra officia celebrabantu, & aut Sacerdotem cogebant approperare sacrificium, aut, eo non absoluto, velut indignantes morosam Offerentis religionem, abscedebant. Huic impietati respondebant reliqua. Cõmuniora delicta fuere ebrietates, quæ abierant in apertam, & veluti tolerabilem consuetudinem, ut idem queritur ep. 49. novæ edit.

edit. cap. 11. & adulteria malum adeo frequens, ut Moechis absterrendis, curandisque, necessarium fuerit gravi præcepto adigere uxores, ut sui thori iniurias Episcopo revelarent, ut ipse facit hom. 49. ex 50. ex qua etiam habetur, perpaucos fuisse in eo populo qui famâ penitus honestâ potirentur. Cum enim adhortaretur Cathecumenos, ut aliquem ex Fidelibus imitandum in castitate coniugali sibi deligerent, hæsit dubius, an aliquis ad id eligi posset, & vix tandem credidit aliquem hujus meriti virum repertum iri, ignotum sibi, cui adulteri multi noti erant. *Catechumenis dico. Exardescite voluntate ad percipiendam gratiam* (hortatus antea eos fuerat ad castitatem saltem coniugalem) *sed eligite vobis in Ecclesia Dei quos imitemini. Quid est quod dico? Si non inveneritis? Ergo in populo Dei non est quem inveniatis? Per tot annos tot homines sine causa baptizavimus, si non ibi sunt qui servent quod acceperunt, qui custodiant, quod audierunt. Absit hoc à me, ut credam. Melius esset non vobis essem Episcopus, si hoc ita est. Sed spero esse, credo esse. Inde est autem misera conditio mea, quia plerumque cogor adulteros nosse, castos nosse non possum. In occulto est unde gau-*

deam, in publico est unde torquear &c. Hæc ipsa sanè S.Doctoris hæsitatio, is veluti ad benè sperandum conatus, hæc tandem velut incerta credulitas satis ostendit, quàm pauci in ea Ecclesia essent exploratæ, indubitatæque honestatis, nempe hujusmodi homines, cujusmodi hominibus omnes modò abundant Ecclesiæ. Quis enim modò Urbis, Hipponensi æqualis Episcopus non possit aliquos statim, aut etiam multos de suo populo tacità saltem cogitatione designare graves pios, & honestatis apud omnes indubiæ? Nunc velim, ita ratiocineris. Si hujusmodi fuit Ecclesia Africana, in qua, si peccatum antea fuerat, nimio rigore peccatum fuerat, quales certè fuerant Tertulliani, Novatianorum aliorumque Præsulum Affricanorum errores quorum meminimus ex Cypriano disp. 2. num.8. & disp. 3. num. 2. & rursus si Ecclesia Sanctissimi Præsulis Augustini fuit hujusmodi, quales fuisse censendæ sunt eæ aliarum regionum, aliorum Episcoporum, aliorum temporum, eæ inquam, in quibus præfuere Pastores illiterati? eæ, quarum cura fuit apud homines incuriosos, desides, socordes? eæ, in quibus jus dixere Divini, humanique

nique Iuris contemptores; Hos autem multos fuisse, audisti ex Gregorio, & ex omnibus Ecclesiæ tam Latinæ, quam Grecæ historicis discere potes; sed audi nunc iterum ex Augustino, qui hom. 50. sic eos peccatores redarguit, qui ex magno sibi similium numero solatium sibi quærunt. *Non ergo illi quos monemus agere pœnitentiam quærant sibi comites ad supplicium, nec gaudeant, quia plures invenerint. Non enim propterea minus ardebunt, quia cum multis ardebunt. Non enim est hoc sanitatis certum consilium, sed malevolentiæ vanum solatium.* Inde sic interrogat. *An fortè attendunt multos etiam in ipsis honoribus Ecclesiasticis Præpositorum, & Ministrorum non congruenter vivere sermonibus, & Sacramentis, quæ per eos populis ministrantur?* Quid hic respondet Augustinus? fortè non ita esse, nempe aut non esse multos, aut non esse ita pravos, ut à Deo damnandi sint. Neutrum excusat Augustinus, neutrum respondet, non negat esse verè multos, eosque vitam contrariam Evangelio quod prædicant, degere, sed esse Christo auscultandum qui monet, ut id faciamus quod docent, non quod faciunt, inde subdit, *Tam sunt autem isti absurdi, & præpo-*

fieri, & miseri, qui Præpositorum suorum malos mores imitari eligunt, quam per eos prædicta Domini præcepta servare, quàm si quisquam viator remeandum sibi esse existimet in itinere, cum viderit milliaria lapidea literis plena viam docere, & non ambulare. Audis Augustinum? Quid hìc excipis? Auctorem? Is est, cui consuevisti firmius adhærere, quam quibuslibet Pontificum bullis. Ecclesiam excipis? at ea fuit, aut esse debuit ex melioribus. Augustinum præcesserat Valerius, vir *sanctus piissimus, & Deum timens*, ut eum vocat Possidonius in vita Augustini. Igitur non deerat muneri suo. Populi erant ex longo tempore ad Fidem traducti, erant benè culti, audiebant Augustinũ, Doctorem præclarissimum, arguentem, obsecrantem, increpantem *in omni patientia* videbant Augustinũ *exemplum bonorum operum in integritate, in gravitate*. Tempus excipis? Nullum vestro judicio, præter tempora Apostolorum, felicius Ecclesiæ veteri fluxit. Nihil, nihil est, quod excipias, nihil quod respondeas.

D. R. Nec excipio Augustinum, nec Ecclesiam, nec Populum, nec tempus sed modum loquendi. Concionatoriè siquidem hæc repræhendit D. Augustinus, & per quan-

dam

dam exaggerationem, ut exprimeret animi ſui dolorem, quòd aliqui ea peccata patrarent; quàmque ipſe cuperet, ut omnes carerent etiam ſuſpicione peccati, nec tam multi accuſarentur.

D. D. Expreſſi tandem ex ore tuo, quod audire detrectas ex noſtro. Igitur oratoriè loquutus eſt aliquando Auguſtinus, oratoriè reliqui Patres, dum populum ſuum redarguunt, & à vitiis revocant. Infero 1. ergo etiam ſic loquuntur, dum ad virtutem impellunt, dum neceſſariam eſſe dicunt longam, aſperam, probatam, & charitate plenam pœnitentiam, dum populum ſuum, aut ſua, aut majorum ſuorum tempora, & canones laudant. Infero 2. ergo ſi non tam multi fuere in Ipponenſi Eccleſia ſuperſtitioſi, ebrii, ſacrilegi, adulteri, nec fuere tam pauci. Si enim pauci fuiſſent, non exaggeratè, ſed inſipienter quæ recitavimus dicta fuiſſent, nec ad arguendum, ſed ad infamandum, irritandumque populum Ipponenſem. Si verò multi fuere, quis novit, an plures fuerint, quàm modo? Ut indubitatum nemo novit. Aſſero probabiliter, fuiſſe plures, cùm, nec exaggerando, plerique Epiſcopi

ſic

ſic redarguerent modò populum ſuum, ut ſuum redarguit D. Auguſtinus, cumque tam plura, quàm olim, modò nobis ſuppetant adjumenta virtutum, & remedia vitiorum, ut paulo ante, oſtendi.

D. R. Inutilis ergo fuit veteris diſcipli-
12 næ rigor, aut etiam perniciosſus, quando non effecit, ut Fideles meliores eſſent, ſed potius ut eſſent pejores.

D. D. Id ego non aſſero, nec aſſeri cum veritate poteſt, alioquin erraſſet vetus Eccleſia praxim inutilem, aut etiam perniciosſam ſequens. Utilis ea fuit, quamvis ejus terrores legeſque tam multi deſpexerint. Non enim inutile eſt ad mores, quod non facit omnes bene moratos, ſi faciat aliquos. Pravi fuerunt multi, quamvis ſeveri in vindicandis criminibus eſſent Patres, plures tunc fuiſſent hujuſmodi, ſi Patres minus ſeveri fuiſſent. Tunc enim cætera auxilia deerant, quibus nos abundamus, cupiditatibus refrænandis expiandis culpis, curandiſque animi morbis aptiſſima. Fateor tamen, ut aliàs monui,
13 ſeveriores quam par eſſet, fuiſſe non paucos Epiſcopos, profeſſos videlicet eum rigorem quem vos adamatis qui certè non inutilis tan-

tùm

tùm fuit, sed perniciosus, ut certissimis historiarum monumentis ostendo. Et quidem in Ecclesia Orientali, quæ rigidissima omnium fuit, nimius rigor sustulit primò pœnitentiam publicam, inde vix non sustulit etiam confessionem secretam. Sustulit quidem Nectarius aut in totum, aut ex parte pœnitentiam publicam, sed occasio fuit nimius quorundam Confessorum rigor, qui Confessionem etiam latentium culparum imponebant, aut fervorem Pœnitentium non satis temperabant. Privatam verò, & secretam confessionem vix non sustulit Joannes Jejunator Patriarcha Constantinopolitanus eo severissimo canone, qui legitur in suo libello Pœnitentiali, *Presbiteros, & Episcopos, & Diaconos admittere non oportet ad confessionem, donec securitatem secundum Deum Confessoribus dederint, si alicujus criminis conscii fuerint, quod eos à sacro Ministerio abdicet, non amplius ausuros sacrificare..... Nihil autem aliud prohibet Sacerdotem à sacro Ministerio, quam in alienam mulierem præter legitimam revera incidere. Si vel semel incidat non datur illi restitutioni locus, hoc est nunquam illi fiet sacrificandi potestas, etiamsi martyrium decertet, faciatque* mira-

miracula magna, adeout mortuos suscitet. Durissimum profectò erat propter unum peccatum abdicare se in perpetum sacro Ministerio, & rursus ea abdicatione publicare omnibus occultum, & probrosum peccatum. Ne igitur id promitterent Confessori, se facturos, ut prædictus canon jubebat, eamque obligationem susciperent, aut suscipere simularent, quam implere nolebant, nescio quo prætextu, cepere sacri Ministri confessionem omittere, antequam rem Divinam facerent. Fortè mihi non credes, credes tamen ut arbitror Arcudio viro Græco, & pereruditо, cujus testimonium affert Card. de Lugo de pœnit. disp. 15. sect. 1. num. 50. per hæc verba. *Constat Græcos Sacerdotes, & Pontifices usum Confessionis Sacramentalis, cùm celebrare debent, non habere, cum de hoc arguantnr ab Eugenio IV. in fine Concilii Florentini. Atque id fatetur Arcudius de Sacram. Pœnit. ubi affert causas, propter quas ille abusus apud ipsos fuerit introductus, scilicet propter rigorem Canonum Pœnitencialium, in quibus gravissimę pœnitentiæ designabantur Episcopo, vel Presbitero aliqua certa peccata committenti.* Is fuit fructus Græciensis rigoris.

Non

Non absimilem fructum, & finem habuit ingens rigor veteris Ecclesiæ Gallicanæ, 14
eique finitimarum Ecclesiarum. Pia eorum Populorum indoles Episcopos fecit animosiores: animos addidit ingens pietas, & religio Gallicorum Imperatorum, qui severissimis legibus populos sibi subjectos in gravioribus delictis ad publicam pœnitentiam compulere, ut ipse dixisti disp. 10. part. 1. Quare canones antiquos observari religiosiùs curabant, novos superaddebant, & gravissimas pœnitentias transgressoribus imponebant, ut constat ex earum Provinciarum Conciliis, ex ejus Regni Scriptoribus, & Pontificum ad eos Episcopos responsis. Et rursus ægrè ferebant, ut supra innuimus, suos subditos, ipsis inconsultis, ad Sedem Apostolicam, quâ benigniùs tractabantur, confugere. Hinc Patres Concilii Lemovicensis celebrati an. 1031. sess. 2. *Inconsulto Episcopo suo ab Apostolico pœnitentiam, & absolutionem nemini accipere licet*, quod paulo ante nempe an. 1022. statuerant Salegustadiensis Concilii Patres. Et quamvis ex causis suo loco memoratis inclinare jam cepisset vetus rigor, illi præ cæteris eum retinere satagebant, ut patet ex prædictis Conciliis,

ciliis,

ciliis, & colligi potest etiam ex eo, quod earum regionum Sacerdotes fuere fere omnes qui canones pœnitentiales collegere, fuere autem Regino, Burchardus, Fulbertus, Juo &c. Quod quidem fecerunt non solius eruditionis gratiâ, sed amore tuendæ strictioris disciplinæ, ut videlicet ad normam prædictorum canonum, quantum fieri posset, pœnitentiæ imponerentur. Hinc, ut de postremo loquar, de variis quæstionibus quid opus facto esset, interrogatus, nunquam aliter, quam juxta Canonum rigorem respondit, ut ex plerisque ejus Epistolis colligitur, & notat Morinus lib. 7. cap. 12. num. 12. Eas igitur provincias præ cæteris Pœnitentialis rigor incessit, inseditque, & quidem diutissimè in aliquibus saltem Ecclesiis, Juo enim floruit in fine undecimi seculi. Factum inde credes, ut Populi illarum regionum vel non peccarint timore censuræ, vel quæ peccarunt, statim emendarint ex disciplina pœnitentiæ? Nil minùs. Quam multi gravissime deliquerint, quam nulli, aut fere nulli pœnitentiam egerint, conjice ex eo quod modo subjicio. Anno 1095. Urbanus Papa II. in Concilio
15 Claramontano sacrum bellum indixit, quo Orien-

Orientalis Ecclesia, & præsertim loca Palestinæ Christi Servatoris nostri quà præsentia, quà lacrymis, quà miraculis, quà mysteriis, quà sanguine, & morte ipsa consecrata à Barbarorum potestate vindicarentur. Cæleste autem euntibus proposuit præmium, nempe omnium pœnitentiarum, quæ cuique pro suis culpis essent exolvendæ, integram relaxationem, plenamque in morte suorum peccatorum, si cum vera eorum detestatione occumberent, indulgentiam, quod inde alii Pontifices fecere, eo populorum qui sacræ Militiæ nomen dedere ex illis præsertim regionibus, concursu, ut Urbes totæ vacuarentur. De prima expeditione sic habet Willelmus Malmesburiensis lib. 4. *Destituebantur agri cultoribus, ædes habitatoribus, totis migrabatur Vrbibus .... Opinionem omnium vincebat numerus, quamvis æstimarentur sexagies centum millia itinerantium*. De altera agens S.Bernardus epist. 249. *Vacuantur Vrbes, & Castella, & penè jam non inveniunt, quem appræhendant septem mulieres virum unum &c.* Qui autem essent isti, quorum professione vacuabantur Urbes, refert idem Bernardus cap.5. sermonis exhortatorii ad Milites Templi.

pli. *Paucos admodum in tanta multitudine hominum illò confluere videas, nisi utique sceleratos, & impios, raptores, & sacrilegos, homicidas, perjuros, adulteros, de quorum professò profectione sicut duplex quoddam constat provenire bonum, ita duplicatur, & gaudium; quandoquidem tam suos de suo discessu lætificant, quam illos de adventu, quibus subvenire festinant. Prosunt quippe utrobique non solum utique istos tuendo, sed etiam illos non opprimendo. Itaque lætatur Ægiptus in profectione eorum, cum tamen de protectione nihilominus lætetur Mons Sion, & exultent filiæ.*

D. R. Oratoriè, & cum exageratione ista dicuntur à D. Bernardo.

D. D. Redis ad cantilenam tibi antea adeo exosam, modo suavissimam. Fuerit aliqua in ea narratione exaggeratio, non tamen tanta, ut plerique non fuerint qui fuisse dicuntur à D. Bernardo, cum presertim id ipsum referant eorum temporum Historici qui Oratorem non agunt. Redeo jam ad argumentum. Igitur hi, quorum discessu vacuabantur Urbes, erant scelerati, impii, raptores, sacrilegi, homicidæ, periuri, adulteri, ergo his erant plæne Urbes, nempe sceleratis,

im-

impiis, raptoribus &c. eo enim aliquid vacuatur, quo antea implebatur. Sed hæ erant illę Urbes, in quibus Antistites tam severè Pœnitentiam administrabant, & graves ad veterum Canonum normam curabant iniungere Pœnitentias, ut paulo ante dixi, & iterum confirmat Morinus lib. 10. cap. 19. n.9. ergo is rigor, & studium tunc fecit, ut implerentur Urbes, aut saltem non fecit, ne implerentur sceleratis, impiis raptoribus, sacrilegis &c. Nullum igitur is rigor licentiæ frenum tunc fuit, & fortè fuit ejus augendæ occasio. Quin certè fuit, dum quos non absterruit à peccatis absterruit à Pœnitentia. Ii enim, quos nume- 16
ravimus, scelerati, impii &c. ex timore gravissimæ penæ, quæ pœnitentibus erant subeundæ, in suis sceleribus perseverabant, eaque augebant in dies magis, ac desperatione cumulabant. Hinc statim ac eo Pontificis relaxantis, & indulgentis edicto bonæ spei lumen illis affulsit, ad illud bellum, quamvis plenum laboribus, & periculis provolarunt. Rem ita habuisse confirmat Leo Cassinensis, illorum fere temporum scriptor, dum ea refert, quæ movere Pontificem ad eam veniam euntibus ad illud bellum offerendam. *Fertur*

(inquit lib. 4. cap. 11. Chronici Cassinensis) *ista commotio apud Gallias occasione quorundam Pœnitentium principia sumpsisse, qui cùm de innumeris sceleribus dignè apud suos pœnitere non possent, & inter notos sine armis vivere vehementer erubescerent, authoritate, atque consilio Sanctæ memoriæ Urbani Papæ prudentis, & verè Apostolici viri, qui tunc pro Ecclesiæ negotiis illas adierat partes, trans mare ad eruendum ex Infidelium manibus Sanctum sepulchri Christi locum in Pœnitentiam, & remissionem peccatorum suorum fide promptissima se ire spoponderant, certi omnino redditi, quidquid periculorum, incommodorumque subjissent, à Domino Pœnitentiæ loco suscipiendum, dum tamen se à pristinis nequitiis jam continerent. Sensim igitur hac opinione serpente non paucos paulo post diffusa per populos, incredibile est, quanta multitudo huic conspirationi brevi tempore adiecta sit.* Quos ergo rigor Episcoporum à Pœnitentia absterrverat, summi Pontificis Indulgentia ad Pœnitentiam revocavit. Cujus autem Pontificis? *verè prudentis, & Apostolici.* Hæc enim vera prudentia est, & zelus verè Apostolicus non incutere terrorem, quo impleantur Urbes sceleratis, impiis, raptoribus,

sacri-

facrilegis &c. fed benignitate fpem falutis facere, qua fceleratis vacuentur Urbes, & Pœnitentibus impleatur Cœlum, ut Pontifices fecerunt harum expeditionum authores. Abbas fiquidem Cafemarii Sancto Bernardo fcribens Epiftolâ inter eas D.Bernardi 333. refert 17
multos aut etiam plerofque ex his Pœnitentibus militibus fanctè objiffe. *Denique confeffi funt nobis qui redibant, quod vidiffent multos ibi morientes, qui libenter fe mori dicebant, neque velle reverti, ne amplius in peccata reciderent.* Addit, revelationibus confirmatum à Deo fuiffe, *multitudinem Angelorum qui ceciderant de illis, qui mortui funt, effe reftauratam*, ut videlicet intelligerent jam Paftores Ecclefiarum, debere de antiqua feveritate cum Pœnitentibus remitti, defiiffe eas caufas, quæ antiquum rigorem depopofcerant, effe in pofterum benignè curandos Pœnitentes, novamque curationem feliciùs cefſuram. Intellexerunt id Epifcopi, inde facti in iifdem Galliis invectæ benignitatis propugnatores, ut oftendi difput. 2. & 3. Nec Pœnitentium curatio, quamvis benignior, infeliciter ceffit, aut innocentium lapfus major quam antea fuit. Id futurum putavit olim Novatianus, ut, fi

Mœchi, & Lapsi in persecutione absolverentur, laberentur omnes, omnes amitterent innocentiam, omnes tormentis succumberent, & à Fide desciscerent. Sed vanum ejus timorem fuisse, ostendit ab experientia Cyprianus Ep. 52. ad Antonian. *Nec putes frater charissime, hinc aut virtutem fratrum minui, aut martyria deficere, quod lapsis laxata sit Pœnitentia, & quod Pœnitentibus spes pacis oblata. Manet certè Fidelium robur immobile, & apud timentes, ac diligentes corde toto Deum stabilis, & fortis perseverat integritas; nam & Mœchis à nobis Pœnitentiæ tempus conceditur, & pax datur, non tamen idcirco Virginitas in Ecclesia deficit, aut continentiæ propositum gloriosum per aliena peccata languescit. Floret Ecclesia tot Virginibus coronata, & Charitas, ac Pudicitia tenorem gloriæ suæ servat; nec quia adulteris Pœnitentia, & venia laxatur, continentiæ vigor frangitur.* Simili prorsus ratione timorem tuum redarguo, amice Doctor; Benignitate, quam modò Pœnitentibus ostendit Ecclesia, quamque nos profitemur, non lactantur vitia, non tabescit amor virtutum. Stat Innocens, quamvis benignè, qui lapsi sunt, erigantur.

D.R.

D. D. At quomodo vigeat amor virtutis, odium vitiorum, cùm diſciplina non viget?

D. D. Diſciplina vigebit, quamvis non 18
vigeant canones pœnitentiales. Quamvis rigor abſit, adeſſe poterit diſciplina. Erras enim, ſi idem eſſe putas rigorem & diſciplinam. Is fuit error cujuſdam militis, cùm duo primarii Ordines Mandicantium recens exorti cepere per Orbem propagari. Alterutrum ex illis ingredi conſtituerat, ſed pendebat animi dubius, quem præeligeret, ita tamen ut non nihil propenderet in eum qui rigidior erat, putans eum eſſe etiam ſanctiorem. Sed hunc ab eo errorem diſcuſſit Clemens Papa IV. quem pro antiqua cum eo neceſſitudine conſuluit miles, facturus quod Pontifex faciendum ſignificaſſet. Noluit quidem Pontifex deſignare manifeſte Ordinem quem præeligeret, innuit tamen, dum militem monuit, alterutrum ex illis Ordinibus profiteri quidem minorem rigorem lecti, nuditatis, & paupertatis, ſed fortè majorem, melioremque diſciplinam. Epiſtolam Pontificis quia brevis eſt, & jucunda, recitabo ex Jacobo de Suſato in breviſſima ſui Ordinis hiſtoria.

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio P. militi salutem, & Apostolicam benedictionem.

Quæris à nobis consilium quod apud te rectiùs poteris invenire. Si enim tibi Dominus inspiravit relicto seculo vitæ frugem appetere melioris, Dei spiritum sicut nec possumus, sic nec volumus prohibere, præsertim cum filium habeas bene disciplinarum (ut credimus) qui tuæ domui sciet providere. Quod si proposito non mutato sciscitaris ulteriùs, quem tibi ex duobus Ordinibus praeligendum credimus, id præcipuè conscientiæ tuæ relinquimus. Magis enim tu scire poteris utriusque Ordinis observantias, quæ non sunt pares in omnibus, & in diversis articulis excedentes, & excessæ. Alterius quidem istorum Ordinum lectus est durior, nuditas gravior, & (ut nonnulli judicant) paupertas profundior. Et alterius cibus parcior, longiora jejunia, & (ut quamplures autumant) sanctior disciplina. Neutrum ergo neutri præficimus, sed in una, & arctissima paupertate fundatos ad unum tendere credimus, salutem scilicet animarum. Et ideo, sive hunc, sive illum elegeris, arctam viam aggredièris, & per portam intrabis angustam ad terram mellifluam, & præ ceteris spatiosam Unde

hoc

hoc apud te pondera, hoc diligenter adverte, quis magis animo tuo placeat, quemque speres melius portaturum, & sic uni conversatione adhæreas, ut amore ab altero non discedas.

Audis hic optimè distingui rigorem, 19
asperitatemque exterioris pœnitentiæ à disciplina, & hanc esse posse majorem sanctioremque, quamvis rigor minor sit. Et quidem plurimæ modo florent in Ecclesia religiosæ familiæ, quæ rigorem non profitentur, profitentur autem optimam disciplinam: hanc enim faciunt optimæ leges bene custoditæ, at optimæ possunt esse leges, quamvis non sint ita severæ.

D. R. Sed bene custodiri sine severitate non possunt.

D. D. Id quidem verum est, cum severitas exercetur in corpora. Cum verò exercetur in animum, & eludi potest, custodiendæ potius sunt suasionibus, vigilantiâ, solertiâ, uno verbo amore sollicito potius, quam rigore minaci. Quid faciet tuus rigor, si Pœnitens ad Confessarium non accedat, vel non prodat omnes culpas suas, & graviora reticeat, vel impositam pœnitentiam acceptare nolit, vel nolit exequi? Vi non obtinebis, ut

velit, sed potius efficies, ut nolit, emendationis ergo causa non eris, sed eris occasio ruinę. Distingue igitur forum externum ab interno. In foro externo rigor perutilis est, & absterret à culpa, tum quia facile declinari, & eludi non potest, tum quia malum corporis minatur, & infert, quod omnes intelligunt, & fugiunt. Secus in foro interno quod est voluntarium, ac proinde declinari potest, vel eludi, & pœnam minatur alterius vitæ, quæ plerosque non satis movet. Jam enim rigor facile contemnitur, & reos facit.

20 Ex hac ipsa ratione non solum in Sacramento rigore utendum non est, sed nec in reliqua doctrina morali, itaut sententiæ strictiores præferantur semper. Cum enim obedientia legis voluntaria prorsus sit, & voluntas amantissima libertatis, si lex arctiùs alligat, aut recusatur, aut violatur, aut negligitur.

D. R. Libertinorum isthæc Philosophia est, non autem Christianorum amantium salutem suam, & proximorum suorum, qui commodis quibusvis præferunt eam majorem suæ salutis securitatem, quam faciunt absque dubio sententiæ strictiores.

D. D.

D.D. Cave, ne hac libertate loquendi
viros ſanctiſſimos offendas, ſuam, aliorum-
que æternam ſalutem commodis omnibus
præoptantes, nec tamen hujuſmodi ſenten-
tias ſemper ſequentes, nec docentes eas ſem-
per præferendas, imo oppoſitum docentes ex
amore alienæ ſalutis. Vis ſcire qui ſint hi Do-
ctores? Omnes ferè ſunt, qui præſertim hanc
noſtram ætatem præceſſere. Totæ Academiæ
ſunt, toti Ordines Religioſi ſunt. Ut reli-
quos taceam, unum pro cunctis proferam, Or-
dinem Doctorum, Sanctorumque. Is eſt Or-
do Prædicatorum præclariſſimus, qui in Co- 21
mitiis Mediolani circa annum 1500. approba-
vit Gloſſam, ſeu declarationem, qua Vin-
centius Bandellus de Caſtro novo trigeſimus
ſextus generalis ejuſdem Ordinis Magiſter,
magni nominis Theologus, ac religioſæ di-
ſciplinæ amantimmus interpretatus eſt ſui
Ordinis Conſtitutiones ex actis precedentium
Capitulorum, quo fit, doctrinam in ipſis con-
tentam non eam ſolùm eſſe, quam tunc is
Ordo profitebatur, ſed quam antea profeſſus
erat, cùm tot in eo ſanctiſſimi, doctiſſimique
viri floruere. Tradit autem in his Bandellus
eam doctrinam tanquam ſuo Ordini ad ſalu-

tem

tem animarum instituto maximè accommodatam. Initio siquidem suæ glossæ explicans eam Prologi Constitutionum partem, in qua datur facultas Superioribus dispensandi in his præcipuè, quæ studium, vel prædicationem, vel animarum fructum videbuntur impedire, sic habet. *Declaramus quod tria præcipuè sunt, quæ salutem impediunt animarum, licet non sint contra Ordinem*, & recitatis duobus prioribus, *quæ sunt questus immoderatus*, *&* *officia odiosa* subdit. *Tertium est nimia austeritas in consiliis, & opinionibus*, & rationem affert, *Terrentur enim homines ex hoc in tantum, ut salutem propriam negligant*. Dum autem hic asseritur nimia austeritate impediri salutem animarum, non est sermo de austeritate Montani, Novatiani, aliorumque hujusmodi hæreticorum, nam sermo est de jis, quæ quamvis soleant aliqua ratione impedire salutem animarum, per se tamen mala non sunt, nec contra Fidem, imo nec *contra Ordinem*, ut idem dicit, est igitur sermo de ea austeritate quæ Fidei non repugnat, quamque is præsefert, qui in Controversiis morum docet, aut respondet semper juxta opiniones strictiores, eaque vocatur impedimentum salutis animarum. Atque

que

que ita prædicta verba interpretati sunt hujus ipsius Ordinis Doctores ex aliis multis capitibus in docendo benignitatis amantes, sed etiam ex hoc, ut sui Ordinis institutionem sequantur. Ex multis afferam duos. Primus est Barnabas Gallego qui in Prologo sui operis sic habet. *In eligendis opinionibus statui apud me illud, quod in Glossa Prologi nostrarum Constitutionum adnotatum est*, allegatoque textu Prologi cum declaratione Bandelli subdit. *Cum igitur hoc à tot, religiosissimisque viris nostri Ordinis declaratum, & decretum fuerit, ego illis adhærendo non rigidus, & austerus in eligendis opinionibus ero, sed benigniores probabiles inter Thomistas, & alios Doctores amplectar.* Alter est Joannes Martinez de Prado qui to. 1. qu. moral. ex eadem ratione dicit in Proemio se fore in docendo benignum. *Cum pro neutra parte aliquid convincent, qua parte stet veritas, affertur, curabo benigniores amplecti, vel earum probabilitatem indicare, cum Ordo noster Prædicatorum ob animarum salutem ab initio noscatur institutus, & animarum salus impediatur, ut notatur in Glossa constitut. nimia austeritate in consiliis, & opinionibus.* Est igitur certum ex ejusdem Ordinis Scriptoribus,

eam

eam à Bandello, approbante toto Ordine, austeritatem in consiliis, & opinionibus repudiari, ut impedimentum salutis animarum, quæ consistit præsertim in eo quod quis vel docens, vel consilium dans, vel respondens, seligat sententias strictiores, cùm præsertim hæ aliquando non solum non sint probabiliores, sed nec probabiles, ut eæ non sunt, quas in his meis disputationibus impugno. Sed satis mentem suam explicat idem Bandellus, qui post allegata verba, quibus ait, terreri homines à prædicta austeritate, ita concludit, *Quapropter relaxanda est quantum fieri potest rigiditas, & austeritas in consiliis, & benigne tractandi sunt homines*, eam ergo vocat austeritatem in docendo impeditivam salutis animarum, quæ in consiliis non relaxatur quantum fieri potest. Quidnam significantius dici poterat contra vestrum rigorem? Quid, quod habeat majorem authoritatem? Magister Generalis docet, vir doctissimus, & religiosissimus, in declaratione constitutionum docet, ex præcedentium Comitiorum actis docet, approbante toto Ordine docet, sequentibus viris doctissimis, docet, nec solum relaxandam in consiliis rigiditatem docet, sed

quan-

quantum fieri potest, & rursus eam si non relaxetur, impedimentum salutis animarum esse pronunciat, & optima ratione probat, nempe eâ, quòd is rigor homines à virtute absterret, & negligentes facit: difficiliorem quippe facit, imo difficillimam viam salutis; magna autem difficultas facilè animum absterret, & spem minuit enitendi ad observantiam mandatorum? hinc languor, & negligentia, ac tandem desperatio, & ex desperatione effusa in omne scelus licentia. Quare id facitis rigidi Doctores, quod imprudentes illi Palestinæ exploratores, qui dum perarduam fecere victoriam de illis Gentibus referendam, quæ ea loca incolebant, vix non coegere populum naturâ suâ desidem & longo itinere fatigatum aliam inire viam, alium viæ ducem quærere, & felicissimæ regionis imperio præferre miserrimam sub Ægiptio Tyranno servitutem.

Huic rationi, quam affert Bandellus li-
bet aliam adnectere, quam affert in simili ar- 22
gumento, nempe in explicatione Regulæ
Seraphicæ, Ugo laudatus disp. 4. num. 21. hu-
jus partis 2. quòd videlicet is Rigor *professio-
nem reddit odiosam*, nempe Fidem, & Reli-

gionem Christianam, quam profitemur, sic onerosam reddit, & gravem multitudine præceptorum, ut populi eam non ament amplius: legem autem quam quis non amat, faciliùs violat, ejusque jugum, cùm potest, excutit. Hinc Hæretici Lutherani, Calvinistæque, ut Populos inducerent ad leges Ecclesię contemnendas abjiciendasque, id blaterabant semper, nimis grave onus eas esse, & humanâ patientiâ majus, quale profectò esset lex Divina, & humana, si vera essent quę docetis, si nempe cuique incumberet onus & preceptum faciendi quod tutius est. Jam enim ex uno pręcepto multa pręcepta consurgerent, ex. gr. ex precepto Confessionis suo tempore faciendę plura pręcepta existerent, vel ipsum plura pręcepta contineret aliis Doctoribus ignota. Jam enim post peccatum erit statim confitendum, id enim est tutius, & tutior est sententia id exigens, en igitur primum pręceptum, quod ex isto Rigore prodit. Quod si non statim confitear, hoc ipsum erit in confessione aperiendum. En secundum. Ex pluribus Confessariis, quos commodè adire possum, erit quęrendus melior, cujus doctrina tutior. En tertium.

Ex

Ex Theologica charitate erit excitandus in corde dolor, seu contritio perfecta. En quartum. Dolor inquam non ita brevis, cùm Deus non tam citò misereatur, ut dicitis, sed solùm post longos fletus, & labores. En quintum, nec remissus, qui fortè non sufficit ut aliqui docuere, sed intensus. En sextum. Et si forte ex prava consuetudine deliqui, erit antea per longam emendationem, & opera pœnitentię debilitandus habitus pravus. En septimum. Erit iterum post longam preparationem adeundus Confessarius, ut absolvar, & si ille mei est oblitus, ut sepe evenit, erunt illi iterum manifestanda delicta, & iteranda confessio. En octavum. Confessio autem erit facienda non solum certi peccati, non solum dubii, sed etiam ejus, quo probabiliter, non tamen certò, abstinui. En nonum. Et multò magis erunt manifestanda quæ licet non faciant peccatum diversum, faciunt tamen majus. En decimum; Plura possem addere, si vellem omnia recensere. Cum autem id ipsum contingeret in reliquis omnibus præceptis similiter multiplicatis, seu simili multiplici obligatione in immensum prægravatis, jam tota lex intolerabilis

rabilis fieret, nec posset quis eam amplecti, quin suum animum traderet mille aut obligationum, aut dubitationum tortoribus excarnificandum, quod absque dubio nostram Religionem redderet omnibus odiosam, idque efficeret, quod cavere voluerunt Apostoli Jerosolymis congregati, dum statuerunt, non esse nimis magno numero preceptorum inquietandos eos, qui ex Gentibus ad Deum conversi fuerant.

23 Et quidem haudquaquam Deo placere, quod multùm prægravetur humana libertas, non semel ostendit. Ex multis, quæ in hanc rem afferri possent, illud referam, quod Joannes Cassianus habet lib. 2. *de canonico nocturnarum orationum, & psalmorum modo* cap.5. Cum ordo Monachorum in Ægipto cepit habere firmas leges, ingens controversia fuit de numero psalmorum, qui vespertino, nocturnoque tempore à quoquam inviolabili lege cantari, aut recitari deberent. Id ergo definituri in unum locum Monachi seniores convenere, *cumque pro suo quisque fervore infirmitatis immemor alienæ id statui debere censeret, quod contemplatione fidei, ac roboris sui facillimum judicabat, parum discutiens quid genera-*

neraliter plenitudini fratrum possibile esset, in qua necesse est infirmorum quoque partem maximam reperiri, diversoque modo enormem psalmorum numerum instituere pro animi sui virtute certarent, & alii quinquagenos, alii sexagenos psalmos, nonnulli verò ne hoc quidem numero contenti excedi eum debere censerent, essetque inter eos pro religionis regula piæ contentionis sancta diversitas, itaut tempus solemnitatis vespertinæ sacratissimæ succederet quæstioni, quotidianos orationum ritus volentibus celebrare, unus in medium psalmos Domino cantaturus exurgit. Cumque sedentibus cunctis, & in psallentis verba omni cordis intentione defixis, undecim psalmos orationum interjectione distinctos contiguis versibus parili pronunciatione cantasset, duodecimum sub alleluja responsione consummans ab universorum oculis repente subtractus quæstioni pariter, & ceremoniis finem imposuit. Ex his venerabilis Patrum senatus intelligens Angeli magisterio congregationibus fratrum generalem canonem non sine dispensatione Domini constitutum, decrevit hunc numerum tam in vespertinis, quam in nocturnis conventiculis custodiri &c. Nunc ingenuè mihi respondeas velim interroganti, quæ tua sententia

fuisset in isto Monachorum concilio? Utique ut sexageni, octogeni, aut etiam centeni quotidie psalmi cantarentur. Qnid enim (dixisses) Monacho cæteroquin otioso facilius? quid melius? Quid in terris vitæ Beatorum similius? Quid Deo gratius? Sic declamasses, tibique de tuo fervore plausisses. Quid autem dixisses, quid fecisses, si me audiisses dicentem, duodecim tantùm psalmos esse statuendos? Audiisses cum stomacho, & vix audiisses, interpellasses dicentem, & injuriis oneratum de concilio ejecisses. Fatere jam indolem tuam Divinæ minimè congruere, *immemorem te esse infirmitatis alienæ, nec satis discutere quid generaliter plenitudini fratrum possibile sit*, quid nempe possint, quid facturi sint plerique mortalium tuarum legum vinculis obligati. Novit Deus figmentum nostrum. Non jussit tota die cantare Monachos, ne fieret odiosa institutio Monachorum, aut occasio Apostasiæ. Non jussit diu flere, diu torqueri diù probari Pœnitentes, ne fieret odiosum Sacramentum, & occasio sacrilegii. Non jussit strictiores sententias sequi, tutiora semper sectari, ne conjectis in perpetuas angustias, & in perpetua peccandi peri-

pericula Fidelibus, fieret odiosa Religio Christiana, & causa, seu occasio desperationis.

Quid hic opponas, non video; nec si haberes, possem te audire, longiùs enim, quam constitueram disputationem protraxi, quæ proinde terminanda omnino est.





CALUMNIA XII.

Temperanda saltem est aliquo majori rigore præsens Ecclesiæ benignitas.

DISPUTATIO XII.

Doct. Discr.  Unc age. Quod erat illud, quod in fine præcedentis disputationis dicere volebas, nec tempus dicere permisit?

Doct. Rig. Id erat, quod ipse calumniam hîc vocas, nempè *Temperandam saltem esse aliquo majori rigore præsentem vestram benignitatem*, quod calumniosè dictum non est, sed verissimè: quæ enim attulisti in disput. præcedenti probant quidem, priscam severitatem

tatem non fore modò usquequaque utilem, sed potius perniciosam. Ex hoc autem id solùm sequitur, eam non esse nunc revocandam, non verò esse sustinendam vestram benignitatem.

D. D. Sed hoc etiam ostendi. Non enim ostendi solùm vestram severitatem fore noxiam, sed esse utilem nostram benignitatem.

D. R. Utilis ea sit, id non contendo; sed utilior esset praxis minùs benigna quam vestra, minus severa, quàm nostra, temperata videlicet ex utraque; hæc profectò multa commoda antiquæ severitatis afferret, & multa commoda præsentis benignitatis, & rursus esset optima, & stabilis ineundæ inter vos & nos concordiæ ratio. Puniantur igitur graviores culpæ, sin minùs plurium annorum pœnitentia, ut olim, saltem aliquorum mensium, aut hebdomadarum labore. Non differatur omnibus criminosis reconciliatio, sed saltem differatur communio, & ipsa reconciliatio plerisque. Lugeant omnes ante absolutionem saltem domi suæ, sin minus ante Ecclesiæ fores, jejuniis antea secretis macerentur, sin minus squallore publico.

1 *D. D.* Seriò ne ista dicis, an, ut me irrideas, aut potius te irridendum exhibeas? Si enim quæ dicta sunt intellexisses, seriò proponere non posses hoc tuum temperamentum verè calumniosum, ipsique Ecclesiæ injuriosum, perinde ea praxim minus utilem utiliori præhabuetit. Fortasse, ut copia cibi nocet stomacho debiliori, ita nocuit ingenio tuo copia argumentorum quæ protuli. Non igitur hic utar longa disputatione, sed brevibus te interrogationibus urgebo.

Meministi, uti praxis nascentis, imo & crescentis Ecclesiæ toto primo, & pene toto altero seculo benigna fuit, & nihil severa?

D. R. Memini id me legisse in Morino.

D. D. Quid ergo modò severiorem poscis? Cur quæ placuit Apostolis, tibi non placeat?

Meministi, uti severior ea tertii, & sequentium aliquot seculorum praxis desiit observari, jam facta minùs utilis; nec statim desiit, sed per intermedia temperamenta, quæ nec ipsa satis utilia fuere revocandis hominibus ad Pœnitentiam? Quid ergo modo

isthæc

isthæc temperamenta iterum obtrudis?

Meministi, uti eadem ipsa presens benignitas invaluit, nullo ex illis tot egregiis Pontificibus, qui eo seculo prefuerunt Ecclesiæ, nullo ex illis tot Conciliis per ea tempora celebratis quidquam, cum facillimè poterant, reclsmantibus?

D. R. Memini à te fuisse eos Pontifices, & Conventus recensitos.

D. D. At cur non institere pro tuo isto temperamento? Putasne plus te videre, quàm tot Pontifices Doctissimi, tot Cencilia? Plus te studere quam illi conservandæ, vel augendæ Ecclesiasticæ disciplinæ.

Meministi, uti innumeri viri sanctissimi, doctissimique qui eo seculo, & postea floruere, cum eadem prorsus benignitate hoc Sacramentum administrarunt, & morum questionibus responderunt? Effluxerunt animo tam citò Instructiones Humberti, & Bonaventuræ, Bandelli declarationes, Alberti, Halensis, Raymundi, D. Thomæ, aliorumque doctissimorum hominum responsa?

D. R. Memini, eaque probè teneo.

D. D. Quid ergo eis consentire recusas?

Meministi, uti prædicta benignitas doctrinæ scripturarum Christi Domini exemplis, & hujus Sacramenti institutioni perbellè consonet, & nihil dissonet Patribus? Quis ergo te scrupulus angit, & retinet?

Meministi, uti eam melioris notæ Theologi propugnent? audisti, qui sint ejus hostes, cujus fidei, cujus doctrinę, cujus famę? Hos sequi non pudet?

D. R. Sed pudet etiam aliquot vestrorum Doctorum laxitatem sequi.

D. D. Quid nostrorum? nostri illi non sunt, nullius sunt. Non agitur hìc de temeraria laxitate. De prudenti benignitate agitur, tot argumentis hìc recensitis innixa, de consuetudine Ecclesię agitur, quam vestri ipsi Doctores *multi temporis* vocant. Ea igitur ex multo tempore obtinet. Negas hoc?

D. R. Non nego.

2 *D. D.* Negas, usum, seu legem quę obtinet, abrogandam, aut mutandam novo statuto, quamvis melius videatur, non esse, nisi cum *aliqua maxima, & evidentissima utilitas ex novo statuto provenit, aut est maxima necessitas ex eo quod lex consueta, aut manifestam iniquitatem continet, aut ejus observatio*

est

est plurimum nociva ? Hęres ? At hęc est doctrina D. Thom. 1. 2. qu. 97. a. 2.

D. R. Erit igitur vera.

D. D. Sed verum est illud quoque, prę-sentem Ecclesię benignitatem tam sanctè invectam & confirmatam, tot argumentis, quę modò enumerabam, innixam non continere manifestam iniquitatem, nec ejus observationem esse plurimum nocivam. Quis hoc audeat dicere de communi, ac diuturna Ecclesię consuetudine?

D. R. Id ego non assero.

D. D. Nec asseres, tuum istud temperamentum continere maximam & evidentissimam utilitatem. Continere aliquam, dices, maximam continere, non dices, nec evidentissimam eam esse dices. Unde enim habes sic fore utile? Unde nosti tam evidenter eventus futuros? Vel id agnoscit Ecclesia vel non. Si hoc ultimum, ergo plus tu vides quam Ecclesia? Et quem te ipsum facis? Si primum, cur Ecclesia ipsa praxim istam tuam continentem maximam, & evidentissimam utilitatem non inducit? cur eam potius Alexander VIII. damnavit? Quid ad hęc? Pudet causa cadere penitus, & victum fate-

fateri? Adhuc temperamentum aliquod velles? Dabo. Duo hactenus facere consuevi-
3 stis, rigidi Doctores, imo tria. Primò invehi in Confessarios nimis laxos, & in Pœnitentes nimis languidos, nihil dolentes, nimis delicatos. Secundò hortari ad luctuosam ex vero dolore, sublimem ex vero amore, longam & asperam ex vera satisfaciendi voluntate pęnitentiam. Tertiò docere hæc omnia esse necessaria ad ritè suscipiendum, vel ministrandum hoc Sacramentum. Hoc ultimum est omnino resecandum, reliqua duo retinenda. Non enim dum benignitatem prędicamus, eorum Confessorum vel nequitiam, vel oscitantiam approbamus, qui Pœnitentem quamvis rudem, quamvis stupidum, quamvis sæpe relapsum, & facilè relapsurum nihil interrogant, nihil scrutantur, nihil arguunt, nihil monent, nihil disponunt, nec Judices, nec Medici, nec Doctores, sed auditores tantum, & vix auditores. Nec eos Pœnitentes excusamus qui nec moneri per summam arrogantiam volunt, nec voluntatem veræ emendationis præseferunt. Id genus Confessorum, & Pœnitentium, qui nimis multi sunt, & nos redarguimus, ut irrisores Sacra-

men-

mentorum. Dum ergo aut hos, aut illos ore vel calamo perstringetis, socios nos habebitis laboris vestri, adiutoresque Fidissimos. Et, si vera fateri non piget, non negabis id à me sepe monitum, & inculcatum fuisse, ne Pœnitens aut indiscussus, aut imparatus, aut solum recitans veniâ donetur, ne Confessor indormiat, ne taceat, ne conniveat, sed excitet, sed arguat, sed eliciat ex corde suspiria, ex oculis lacrymas, ex pectore singultus.

Illud quoque alterum laudabiliter facietis, si nempe, quamvis necessarium non sit hęc prestare, prestare tamen optimum esse, doceatis, nempe multum flere ante Confessionē, per aliquot dies si vacat, & peccata graviora sint, secedere à negotiis; jejuniis, reliquisque Pœnitentiæ laboribus demereri magis favorem Divinum, coutrariis virtutum actibus proclivem ad culpas voluntatē in sancto proposito obfirmare, rogare Confessorem, ut liberè munus suum exequatur, ut moneat, ut veniam differat si id expedire videat; publicam quoque ad exemplum aliorum, & sui demissionem profiteri Pœnitentiam, eamque longam & asperam à Confessione petere. Hæc ut optimè fiunt à Pœnitentibus, sic optimè eis 4

com-

commendantur; modò commendentur tantùm, non exigantur; perutilia dicantur, sancta, tutissima, non autem necessaria. Id ergo totum erit temperamentum quod quærebas non benignitatis nostræ, sed severitatis vestræ. Sis in posterum laxitatis censor, ut antea, sis ad rigorem hortator ut antea, Doctor rigoris non sis ut antea. Nec, quia ad asperam & severam Pœnitentiam hortaberis tantùm, ut voluntariam, non autem propelles & coges ut necessariam, seù præceptam, idcirco de Pœnitentia minus benemereberis, quin benemereberis magis, faciesque, ut plures severissimæ pęnitētię dedant sese. Quæ enim sunt valde difficilia, facilia fiunt, si sponte fiant, præcepto difficillima evadunt. Hinc persuasum semper sapienti cuique fuit, in rebus præsertim arduis parcendum quam maximè præceptis esse, nec in reliquis minus arduis nimis multiplicanda præcepta, quibus, absque dubio fieret nimis ardua observantia universorum. Hanc sanè praxim custodivit Christus Dominus ad ardua quidem, & sublimia nos adhortans, sed pauca eaque non admodum difficilia præcipiens. Hanc custodivit Ecclesia in Conciliis generalibus congre-

gre-

gregata, hanc Pontifices universi. Negas id factum à Consiliis generalibus? En Conciliorum Epitome. Percurrimus disp. 2. quę fuere seculo 13. celebrata. Percurre reliqua. Et ne extra materiam, quam prę manibus habemus, excurramus, cedo eorum Canones, Pęnitentiales. Reperies satis multos conditos à Conciliis particularibus, à Conciliis generalibus conditos vix reperies. Duos reperies in Niceno primo nempe 11, & 12. sed eos longè minus severos quam sint canones Basilii, aut Nysseni, istamque ipsam qualemcunque severitatem, canonis 8. & 13. benignitate sua vissime temperatam. Clericos in Apostasiam lapsos deponi statuerat vetus canon, hinc Concilii Eliberini Patres cap. 51. *Ex omni hæresi qui ad nos Fidelis venerit minime est ad Clerum promovendus, vel si qui sunt in præteritum ordinati, sine dubio deponentur*, Niceni tamen Patres benignius agi mandarunt prædicto can. 8. cum iis Clericis qui Novatianam hæresim ejurassent, eosque in pristinum aut Episcopatus aut Sacerdotii gradum restitui. Pluribus vel in morte veniam negabant Episcopi non pauci, ut primis part. 1. disp. 1. ostendi. Id fieri vetant Patres Niceni præd. can. 13.

Per-

Percurre jam reliqua Concilia œcumenica 2. 3. 4. 5. 6. & 7. Canones reperies aliquos vindices delictorum sed eos ad solum forum externum pertinentes, eosque nihil severos, utpote ordinariam pœnam vel depositionis, vel anathematis solis contumacibus, non autem Pœnitentibus indicentes. His adeo indulgent octavi generalis Concilii Patres, ut Nicenorum Patrum exemplum secuti, aut etiam prætergressi, post hæresim obstinatissimè retentam, si verè resipuerint, in Clero permanere permittãt. Lege canonem 25. Non reperis? Reperiam ego. Audi. *Definivimus ut Clerici ritè priùs ordinati à Methodio, vel Ignatio, & resiluerunt à consortio Fidelium, ut adhærerent Photii hæresi, & obdurati exemplo Pharaonis nolunt resipiscere, deponantur omnino, imo semper exosi sint, ut Esau. Ni forte ob magnam Pœnitentiam à misericordia Ecclesiæ admissi fuerint.* Percurramus quæ supersunt usque ad seculum 13. quo, ut dicitis, totus pœnitentiæ rigor desiit, nempe Lateranensia tria. Sed in illis austerum nihil, canon Pœnitentialis nullus, nisi fortè in secundo sub Innocentio II. In hoc enim (si bene memini) agitur de Pœnit. can. 22. Audi ve-

veram sinceram, & canonicam de Pœnit. doctrinam. *Sane quia inter cætera unum est, quod sanctam maximè perturbat Ecclesiam, falsa videlicet pœnitentia, Confratres nostros Episcopos, & Presbyteros admonemus, ne falsis pœnitentiis laicorum animas decipi, & in Infernum pertrahi patiantur*. Nunc audi, quæ sit habenda falsa pœnitentia. *Falsam autem pœnitentiam esse constat, cum spretis pluribus de uno solo pœnitentia agitur, aut cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio, unde scriptum est qui totam legem servaverit, offendat autem in uno factus est omnium reus, scilicet quantum ad vitam æternam. Sicut enim si peccatis omnibus esset involutus, ita si in uno tantum maneat, æternæ vitæ januam non intrabit. Falsa etiam fit pœnitentia cùm pœnitens ab officio vel curiali, vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione prævalet, aut si odium in corde gestetur, aut si offenso cuilibet non satisfaciat, aut si offendenti offensus non indulgeat, aut si arma quis contra justitiam gerat*.

Quid hìc reponis mi Doctor? Falsam pœnitentiam non appellat hìc Pontifex quam vos appellatis nempe brevi tempore conceptam, non testatam longo fletu, non probatam

tam

tam prӕviis laboribus, ſed non univerſalem, non involuentem propoſitum votandi omnia, non removentem occaſiones proximas. Quid exigis ea quӕ non exigit Pontifex in Concilio generali, quӕque nulla alia generalis Synodus poſtulavit?

Percurrimus jam undecim, aut etiam duodecim concilia generalia, nempe quotquot primis duodecim ſeculis ab univerſa Eccleſia legitimè congregatâ celebrata fuere, nec aliquid in illis deprehendimus quod veſtrum rigorem ſonet, nullum veſtrum canonem pœnitentialem; nunquam vetitum aut Pœnitentes abſolvi ſtatim, aut abſolvi relapſos, aut pravis habitibus nondum exolutos, quamvis priora eo tempore celebrata fuerint, quo, ut dicitis, tam rigidè fuit Pœnitentia adminiſtrata, poſteriora verò iis infeliciſſimis temporibus, quӕ rigorem maximum depoſcere videbantur, aut propter errores Gilberti Porretani, Petri Abӕlardi, Petri de Bruis, & Arnaldi Brixiani, aut propter hӕreſes Baſilidis, Menandri, Marcionis, & Manetis ab Albigenſibus renovatas, aut propter adeo communem, habitamque jam veluti licitam incontinentiam, uſuram, & ſymoniam, quӕ ſeveris quidem

dem

dem externi fori legibus vindicanda judicarunt Patres, non autem isthac, quam prædicatis, voluntarii, internique fori severitate; vel praxim antiquam eam vocetis, vel antiquæ, novæque temperamentum.

6 A Conciliis generalibus gradum faciamus ad Pontifices Romanos extra concilia docentes, statuentesque. En vitæ Pontificum, en eorum Epistolæ, responsa, canones. Profer aliquid ex ipsis, quod rigorem sapiat. Jam video te velle aliquot eorum responsa ostendere, quæ in Morino legisti, in quibus plurium annorum pœnitentiam ab eis aliquando impositam, constat. Sed primò hujusmodi responsa eorum Pontificum non sunt, quos præceteris aut ex antiquitate, aut ex sanctitate, aut ex doctrina celebramus. Secundò ii ipsi quorum responsa proferre paras, eas pœnitentias indicunt pro gravissimis delictis apostasiæ, parricidii, & similium, qui etiam modò severè puniuntur. Tertiò hæ ipsæ longiores pœnitentiæ ab his Pontificibus impositæ longè mitiores sunt iis, quæ iisdem Pœnitentibus ab eorum Episcopis impositæ priùs erant, quarum proinde temperamentum potius erant, quam Pontificiæ pœnitentiæ, nec mi-

 tius

tius temperamentum erant, ne Episcopis id continuò dolentibus, ac de Pontificia benignitate expostulantibus, ut alibi ostendi, major daretur occasio querelarum. Ceterum profer canonem aliquem, aut responsum eorum sanctissimorum Pontificum qui tertiò, quartò, quinto, aut sexto seculo floruere, nempe eo tempore, quod vos vultis esse omnium ætatum exemplar. Profer eorum canonem aliquem rigidiorem. Profer aliquam Epistolam, qua Episcopos ad rigidiùs agendum cum Pœnitentibus hortentur. Protuli ego multas in hisce meis disputationibus, quibus rigidos Episcopos redarguunt, easque sanctissimorum Pontificum Soteri, Julii, Cœlestini, Leonis. Profer aliquid de Pœnitentiali Romano quod tibi suffragetur. Profert ex eo quod mihi suffragatur, Petrus Blesensis in opusc. de Pœnit. & satisf. seu in Epist. ad quendam Abbatem justò severiorem. *Oportet*, inquit, *sicut dicitur in Pœnitentiali Romano, ut Sacerdos in multa mansuetudine, & benignitate suscipiat Pœnitentem*. Profer veterem aliquem Scriptorem testantem, Ecclesiam Romanam consuevisse per eas longas, & varias stationes ducere Pœnitentem, profero

fero ego Hieronymum solius fletus, & squalloris in foribus Ecclesiæ facientem mentionem in Fabiolæ pœnitentia. Profero Sozomenum publicam Ecclesiæ Romanæ pœnitentiam ita describentem lib.7.cap. 16. ut clarè appareat longe mitiùs eam in Romana Ecclesia quàm in cæteris, quàmque Greci canones exigerent, fieri consuevisse. Profer demum aliquod antiquitatis monumeutum, unde probes severos cum Pœnitentibus fuisse Romanos Pontifices. Ostendi ego initio partis 1. in Instructione Clerici Romani, benignissimos fuisse semper Romanos Pontifices, eoque nomine impiorum hominum odium incurrisse. Vide jam cui benignitas displicuerit, cui placuerit semper. Placuit Conciliis generalibus, placuit Romanis Pontificibus, displicuit Paganis, ut refert August. à nobis disp. 6. par. 1. recitatus, displicuit Montanistis, Novatianis, uno verbo iis displicuit, quibus Fidei doctrina displicuit.

D. ℞. Non faxit Deus, ut id mihi displiceat quod Ecclesiæ placet, & solis displicet hostibus Fidei, aut unitatis, & concordiæ aut justæ moderationis. Rigores meos exe-

cror, tuæque sententiæ, quam Ecclesiæ universalis, quamque Ecclesię Romanæ propriam esse jam video, volens, libensque subscribo.

D. D. Deo gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum JESUM CHRISTUM 1. Cor. 15. 57.

LAUS DEO.

IN-

INDEX
RERUM NOTABILIUM,

Quæ hoc secundo libro continentur.

Prior litera Disputationem indicat, posterior numerum marginalem.

A

Absolutio dari aliquando potest proponenti occasionem proximam deserere. Disp.8. n.9.

Adam statim post lapsum restitutus in gratiam Disp. 6. n. 16.

Arnaldi contumacia. Disp.9. in fine.

Antiquitatis amor immoderatus redarguitur. Disp.7. n.16.

Antiquorum Scriptorum, aut incertitudo in aliquibus, aut obscuritas, aut brevitas, aut insufficientia doctrinæ. Disp.5. n.7.&c.

Attritio sufficit in Sacram. ex D.Carolo. Disp.8. n.7. *Hujus opinionis securitas.* Disp. 10.n.13. *S. Augustinum sequi affectant Hæretici.* Disp. 7. num. 13. *Hujus S. Doctoris Ecclesia qualis fuerit.* Disp. 11. num. 11.

B

Bandellus de Castronovo Glossator Constit. Ordin. Præd. favet præsenti benignitati. Disp. 11. num. 21.

Baptismus laboriosus Sacramentum Pœnit. in quo sensu? Disp. 6. n. 3. & ult.

Benigna hæc praxis administrandi Sacr. Pœnit. non fuit invecta vitio Fidelium. Disp. 2. per totam. *Quæ fuerit ejus causa, vel occasio.* Disp. 2. n. 4. usque ad 11. *Fuit invecta antequam instituerentur Ordines Mendicantes.* Disp. 3. n. 3. usq. ad 9. *Quin ab ipsis fuit temperata.* Disp. 3. n. 9. *Ejus cronologia.* Disp. 3. n. 4. *Nunc benignior non est quam fuerit seculo* 13. Disp. 4. per tot. *Ei favent Scripturæ.* Disp. 6. n. 1. & 8. &c. *Est conformis Institutioni hujus Sacramenti.* Disp. 6. n. 2. &c. *Non est contraria Patrum regulis, & canonibus.* D. 7. per totam. *Nec Instructionibus D. Thomæ de Villanova, aut D. Caroli, aliorumque Sanctorum.* Disp. 8. n. 6. &c. *Non habetur ab Ecclesia pro abusu.* Disp. 9. n. 3. *Eam carpunt Hæretici.* Disp. 9. n. 6. *Ejus commoda, & fructus.* Disp. 11. n. 3. &c. *Non indiget ullo temperamento.* Disp. 12. per totam.

Benignitas in opinionibus suadetur à Vincentio de

de Castronovo Disput. 11. num. 21.
S. Bonaventuræ Instructio pro Confessoribus. Disp.4.n.12. *Ejus Theologia laudatur à Sixto V.* Disp. 5. n. 2.
Bonifacii Constitutio in favorem Confessorum Monachorum. Disp.3.n.15.

C

CAnones pœnitentiales multi quomodo,& cur vigere desierint. Disp. 7. n. 21. *Canonicæ Pœnitentiæ an injunctæ,an propositæ.*D.3.n.3
Canones non semper vigent iidem. Disp.7. n.2.
S.Carolus instruit Confessores. Disp.8.n.17.&c.
Certitudo quæ requiratur circa materiam Sacr. Pœnit. Disp.10.n.3.
Choreæ. Quid de his Patres. Quid Theologi morales? Disp,7.n.32.&c.
Christi vita tota ad benignitatem instructio. Disp. 6. num. 13.
*Clementis VII. votum in Arce S. Angeli de reformandis Regularib. Mendicātibus.*D.3.n.24
Clerus veteris Ecclesiæ qualis fuerit. D.11.n.8.
Concilia Generalia non severa in Pœnitentes. Disp. 12. in fine.
Concilium Gangrense damnat Eustathium Rigoristam. Disp. 7. n. 21.
Confessor arguitur cupiditatis. Disp.3.n.17.*In-*

struitur ab Humberto Ord. Prædic. Generali. Disp.4.n.8. *A S. Bonaventura*. D.4. n.12. *ab Ugone Franciscano* Disp.4.n.21. *A D.Th. de Vill. D. Carolo aliisque* Disp. 8. n. 6. &c. *Qualiter debeat esse certus de dispositione Pœnitentis*. Disp.10.n.4.&c.

Consuetudo prava. An ea durante possit Pœnitens absolvi. Disp. 10.n.15. &c.

Contritionem debere ex natura sua esse actum intensum qui docuerint. Disp. 10.n.2.

Cõversio peccatorũ an subinde fiat statim. D.6.n.9

Cruce-signatorum exercitus quantus fuerit in expeditione Urbani II. & ex quibus conflatus fuerit. Disp.11.n.15. &c.

D

Deus absolvit à reatu culpæ etiam ante præstitam satisfactionem. Disp.6.per totam. *Invitat Peccatores ad Pœnit*. Disp.9.n.9.

Deus non vult imponi onera nimis gravia. Disput. 11. num.23.

E

Ecclesia primitiva fuit benigna. Disp.1.n.3. *Ecclesia presens in censura Pœnitentiç non recessit penitus ab Antiqua: nec est huic contraria*. Disp.1. per totam.

Ex rationabili causa temperavit antiquum rigorem. Disp.2. n.4.&c.

Et

Et quidem utiliter. Disp. 11. n.3. &c.
Ecclesia Romana fuit semper inimica rigoris immoderati, imo benignior reliquis Ecclesiis, ex quibus non paucę nimio rigore peccarunt. *In dissert. prælimin. ad Clericum Rom. to.* 1.
Eliam instruit Deus ad benignitatem. D.6.n.12.
Eustathius Rigorista insignis, ejusque errores. Disp. 7. num. 21.
Exemplum malum movere non debet. Disp. 11. num. 11. in fine.

F

S. *Franciscus de Assisio vult, ut Superiores sint misericordes in Pœnitentes subditos*. Disp.4. num. 21.
S. Franciscus Xaverius instruit Confessores Missionarios. Disp.8. n. 26,

G

Gallici Pontifices, Doctoresque fuere olim valde rigidi. Disp.11. n.14. *Inde iidem valde benigni, imo forte omnium benignissimi*. Disp.3. per totam.
Genetti doctrina circa absolutionem sæpe lapsorum reiicitur. Disp.10.n.26.
S. Gregorii Magni prudentia in reformatione Subdiaconorum Siculorum. Disp.3.n.30.
S. Gregorii VII. Constitutio contra Sacerdotes con-

concubinarios. Disp.3. n.31.

Gullielmi Parisiensis Ep. benignitas forte nimia in relaxandis pœnitentiis. Disp. 3. n.9.& 14.

H

HÆretici aliquot Rigoristæ. D.11.n.1.& 2 *Hæretici Theologiam veram, tam speculativam, quam moralem odere*. Disp. 5. n. 1. & 2. *Damnant præsentem Ecclesiæ benignitatem*. Disp.9. n.6. *Arguit laxitatis Theologos Morales Lutherus*. Disp.11. n.2.

Humbertus Ord. Præd. Generalis instruit Confessores sui Ordinis. Disp.4.n.8.

I

INdulgentię non debent esse indiscretæ. Disp. 3. num. 4. 9. & 14.

Innocentii XI. Constitutio non damnat eam quam hìc tuemur benignitatem. Disp.10.*per totam*.

Io.Cassianus refert divinum ostentum circa Psalmodiam Monachorum. Disp. 11. 23.

Iuenini doctrina circa absolutionem habentium pravam peccandi consuetudinem rejicitur. Disp. 10. num. 16. &c.

L

LEctio Patrum qualis esse debeat. Disp. 7. num. 15. usque ad 25.

Lutherus affectavit initio rigorem. D. 11.n.2.

Mau-

M

Mauritii Ep. Parisiensis praxis benignior in relax. Pœnit. Disp.3.n.4.& 14.
Mediolanensis Ecclesiæ status qualis esset, cum S. Carolus ei præficitur. Disp.8. n.14.

P

Patres quomodo legendi sint. Disp.7.nu.15. usque ad 25. *Aliquando loquantur cum quadam exaggeratione.* Disp.7. n. 20. d. 11. num. 11. & 15. *Quare Casuistæ non semper eos allegent, aut sequantur.* Disp.7. nu. 25. *Eis tamen contrarii non sunt, ibid. Quanti sit æstimanda eorum authoritas.* Disp.5. num.5. *Eos sequi se jactant Hæretici.* Disp.7.n.13. *Cur eos aliqui non intelligant, & malè exponant.* Disp. 7. num. 15. *Quomodo sint exponendi. ibid. Eis non opponitur præsens Ecclesiæ benignitas in Pœnitentes.* Disp.7. *per tot.*
S. Paulus Apostolus defendit suos Monachos. Disp. 3. num. 27. *Explicatur ejus textus difficilis.* Disp. 6. num. 2. & 17.
Peccatores an aliquando convertantur statim. Disp. 6. n. 9.
Petri Pictaviensis praxis in pœnitentiis iniungendis. Disp. 3. n. 8.
Pœnitentia vera qua ratione dicatur esse commis-

ſa plangere, & plangenda iterum non committere. Diſp. 10. n. 22.

Pœnitentia longa, & aſpera an neceſſaria Peccatori. Diſp. 7. n. 10.

Pœnitentiæ Sacramenti Inſtitutio qualis. Diſp. 6. num. 6. *Qua ratione dicatur Baptiſmus laborioſus*. Diſp. 6. n. 3.

Pœnitenti an ſit credendum. Diſp. 10. n. 4. & 6. *Ejus diſpoſitio qualiter debeat innoteſcere Confeſſori*. Diſp. 10. n. 4.

Præpoſitivi Theologi Pariſienſis benignitas circa relaxationem Pœnitentiarum. Diſp. 3. n. 5.

Propoſitum conſtans affectu neceſſarium in ſacr. Diſp. 10. n. 21. & 26.

R

R*Ecentiores ſcriptores defenduntur*. Diſp. 5. n. 14. *Morales præſertim*. D. 7. n. 12. &c.

Relapſus, an ſignum ſufficiens defectus propoſiti. Diſp. 10. n. 7. *uſque* ad n. 14. & n. 15. *uſque ad finem*.

Religio Chriſtiana redditur odioſa à Rigoriſtis. Diſp. 11. n. 22.

Religioſi Mendicantes non relaxarunt antiquum Eccleſiæ rigorem in adminiſtrando Sac. Pœnit. Diſp. 3. n. 3. *Imo non approbarunt omnes opiniones benignas aliorum, quamvis communes*, n. 9.

n. 9. *usque ad* 13. *Pœnitentiæ studium accenderunt* n. 13. *Non sunt minus idonei ad audiendas Confessiones, quam sint alii; quin fortè sunt aptiores* n. 16. *usque ad* 22. *Eorum in hoc munere obeundo privilegia confirmantur, augenturque* n. 22. *Eorum disciplina non est modò laxior quam fuerit*, nu. 24. *Eorum reformationi semper studuere Pontifices & Concilia* n. 25. *Cur modò fortè impensius* n. 26. *Non statim dissolvendi Ordines Religiosi laxiores, sed eorum emendatio prius tentanda* num. 27. *Quomodo id faciendum ibid. &c.*

Rigor. v. *severitas*.

Rigorismus quid sit, & qui sint Rigoristæ. In differt. prælim. ad Cler. Rom. to. 1. *Qui sint horum libri ibid.*

Roberti de Flammesburg. benignitas in administrando Sacr. Pœnit. Disp. 3. n. 6.

S

Satisfactio quę exigeretur à Peccatore in veteri Testam. Disp. 6. n. 10. *Reliqua circa satisfactionem V. Pœnitentia*.

Salvati sunt multi milites in sacris expeditionibus Palestinæ. Disp. 11. nu. 17.

Scripturæ utriusque Testamenti favent præsenti benignitati. Disp. 6. n. 8.

Securitas nostræ doctrinæ in Sacram. Pœnitentiæ Disp. 10. per totam.
Severitas doctrinæ. Ab ea cœperunt Hæretici aliquando. Disp. 11. n. 1. & 2.
Severitas antiqua quomodo & cur fuerit temperata. Disp. 2. n. 4. &c. *Ejus commoda recensentur*. Disp. 7. n. 2. usque ad 8. & disp. 11. n. 3. *Ejus verò damna* d. 7. n. 7. & d. 11. n. 13.
Severitas in foro externo utilis, non sic in interno. Disp. 11. n. 20.
Severitas non est idem ac disciplina. D. 11. n. 17.
Suarii benignitas circa administrationem Sacram. Pœn. D. 9. n. 8. *Ejusdem vita ex Alegambe* n. 10

T

Temporis præsentis Ecclesia forte melior, quam quæ à magno rigore celebratur à Rigidis D. D. Disp. 11. n. 10.
Theologiam speculativam laudat Sixtus V. D. 5. n. 2. *Hanc, & Moralem oderunt Hæretici*. Disp. 5. nu. 1. & 2. *Defenditur illa*. Disp. 5. n. 14. *Defenditur hæc*. Disp. 7. n. 12.
Theologorum recentiorum in aliquibus prærogativa supra antiquos. D. 5. n. 5. *usque ad finem*.
S. Thomæ opiniones benignæ circa administrationem Sacr. Pœnit. Disp. 9. nu. 8. *Docet esse reo credendum in foro interno*. Disp. 10. n. 6.

S.Thomas de Villanova instruit Confessarios. Disp.8. n. 6.
Tutæ an sint in praxi sententiæ quæ his. Disp. propugnantur. Dis. 10. per totam.

V

Veteris Ecclesiæ Fideles an meliores fuerint. Disp. 11.n.8.
Vgo Franciscanus explicat regul. S. Francisci. Disp.4. num.21.
Vmbertus. V. Humbertus.
Vrbanus II. oblata Indulgentiā revocat Peccatores innumeros ad Pœnitentiam, & ad sacram militiam accendit. Disp.11. n.15.

FINIS.

ERRA-

		ERRATA	CORRIGE
pag. 9	vers. 9.	facio	faciam
27	14	Ronaventura	Bonaventura
36	9	Pontificis	Pontifici
42	21	alquot	aliquot
59	8	ficit	fuit
99	17	qua	quam
120	25	eris	ens
134	13	intes	inter
176	12	tempore	tempori
179	9	cumque falsum	cumque quandoque falsum
187	10	oros	oro
188	11	inferitis	infertis
202	7	dedignatis	dedignaris
210	4	scordi	socordi
217	23	patienter Me	patienter. Me
222	9	& cap. 17.	cap. 17.
235	9	dextræque	destrèque
259	8	. Eam in rem	, eam in rem
272	25	cum relapsurum	eum relapsurum
274	9	st enim	si enim
311	5	dictis	dicitis
334	9	disciplinarum	disciplinatum
337	14	Mediolani	Mediolani habitis
	19	amantimmus	amantissimus
357	25	primis	primæ

Multa essent corrigenda in numeris textuum, qui allegantur. Quia tamen is error sensum non variat, & plerique hujus operis textus noti sunt eruditis, qui de Fide scriptoris (ut spes est) non dubitabunt, omittitur eorum correctio, edenda, cùm primum Lector parum benignus exposcet.

